
DE MENAECHMIS PLAUTINA RETRACTATA LIBELLUS

Peter Ernst Sonnenburg



Digitized by Google

THE LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MINNESOTA



EX LIBRIS
MAX BONNET
PROFESSÉUR HONORAIRE
À L' UNIVERSITÉ DE MONTPELLIER
1841-1917

CLASS 87P69
BOOK DS05

Digitized by

DE MENAECHMIS PLAVTINA RETRACTATA

SCRIPSIT

P · E · SONNENBURG

BONNAE

EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO

MDCCCLXXXII

DE MENAECHMIS PLAVTINA RETRACTATA LIBELLVS

SCRIPSIT ATQVE AD RITE CONSEQVENDOS
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA
GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM
ORDINI TRADIDIT DEFENDETQVE DIE XXVIII
MENSIS IANVARI A · MDCCCLXXXII HORA XII
CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS PVBLICE

P · E · SONNENBURG
BONNENSIS

ADVERSARII CONSTITVTI SVNT

PAVLVS WOLTERS
EDVARDVS ANSPACH
LVDOVICVS SONNENBVRG

BONNAE
EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO

Digitized by Google

57P69
DS:5

FRANCISCO · BVECHELERO

HERMANNO · VSENERO

D · D

U of M Bindery
Bonnet
DEC 28 '32
DEC 1 5 '50

553358

Digitized by Google

Ex quo tempore in nostris fabularum Plautinarum libris, utut scribarum inscientia aut grammaticorum industria mutati sunt, superesse intellectum est vestigia variorum si fas est dicere poetarum, non defuere qui ad hanc rem animos intendentes disputarent [1]) non eadem usi fortuna. Sed etiam si hae quoque quaestiones Ritscheli demum studiis sunt illustratae, tamen nullus adhuc vir doctus disquisitiones eo instituit consilio, ut aliquam fabulam a prologo ad cantoris illud *Plaudite* acri animo eaque ratione pertractaret, qua in edendis fabulis usum Brixium permulta feliciter invenisse testatur Lorenzius [2]). Quam rem equidem agressurus ut Menaechmos potissimum exponendam eligerem, duabus ductus sum causis: cum incitabat me ipsum argumentum satis intricatum et festivitate insigne, tum tandem aliquando obloquendum videbatur virorum doctorum opinioni, qui Menaechmos inter fabulas Plautinas solam retractationis vestigiis carere dictitarunt [3]). Vel Goetzius, dittographiarum investigator acerrimus, num nihil nisi genuina Plauti verba in Menaechmis exstarent, aliquo modo dubitabat, quin nusquam sententiarum ordo turbatus retractatoris indicaret manus, non dubitabat [4]). Sed iam et ipse de hac opinione desperavit et Buechelerus cur aliter sentiret paucis significavit [5]). Ac mihi quidem postquam Menaechmos iterum ite-

---

[1]) Copiose de iis dixit Brachmannus *de Bacchidum Plautinae retractatione* p. 66 sqq.

[2]) »*Geraden Wegs den einfachen und eben deshalb beim Plautus richtigsten Gedankengang festhaltend*«. Gött. gel. Anz. 1868 II p. 1163.

[3]) Ladewig Philol. XVII p. 463, Lorenz l. i. p. 1188, Dziatzko annal. philol. CVII p. 838.

[4]) Acta soc. philol. Lips. VI p. 276.

[5]) Mus. Rhen. XXXV p. 481. — Libellum meum dum typothetae committo, AKiesslingi erga amicum Gryphiswaldensem benevolentia

Digitized by Google

rumque legi et pertractavi, nullam fere fabulam Plautinam tot tantaque retractationis signa prae se ferre persuasum est; adeo vix ulla scaena sententiis repetitis aut pugnantibus inter se caret, ut uni eidemque ingenioso poetae integram tribuere fabulam non possis.

Prologorum reliquias, quas tribus aut duobus minimum poetis deberi inter omnes constat, missas facio, quia neque tam arto cum ipso argumento coniuncti illi sunt vinculo, ut de hoc seorsum nequeat disputari, neque interim de prologis Plautinis intellegentium in hac re existimatorum firmum stabilitumque est iudicium.

I 1 Qua de causa ab ipsa Peniculi oratione capiamus exordium. Cuius versus duos priores cum iis qui secuntur non bene coire dudum intellectum est: immo plane alius parasitici sermonis sunt reliquiae. Neque enim veri esse admodum simile quod cum Ritschelio editores statuerunt intercidisse quibus vv. 78 et 79 coniungerentur, et Captivorum Plautinae scaena prima, ex qua qualia fere v. 78 olim exceperint licet conicere [1]) et ipsa quae a v. 79 incipit expositione demonstratur, quippe qua a generali sententia ad rem, quae agitur, progrediente nihil ante dictum esse appareat [2]). Quam expositionem qui attento animo perlegerit, non poterit non offendere in v. 98; ut enim verbum *nam* in initio positum post v. 96 aegre ferri non dicam, tamen subito nihil iam de vinculis escariis scire parasitum miraculo nobis est: quasi ante aegrotum se praedicaverit, Menaechmi laudat medicinam. Quae res vel maxime manifesta est in vv. 104 sq., qui si non pug-

---

factum est, ut mihi quam vir ille doctus indici scholarum autumno anni superioris edito praemisit commentatio adferretur, in qua retractatam esse fabulam demonstravit pervestigata scaena IV 2. Quem cum in eo viderem a me dissentire, quod uni omnes illas turbas deberi censet novatori, de summa rei mecum facere maximo cum gaudio intellexi.

[1]) Conferas praeterea qui in Gelasimi orationem inmissi sunt versus Stich. 171—178. In Persa Plautina nomen non explicat Saturio (I 2), sed eo ludit v. 103.

[2]) Fieri potuit ut Peniculi nomen non sit ab ipso inventum Plauto, siquidem vv. 284—286 non esse genuinos infra demonstrabitur et in scaena II 3 tres inveniemus recensiones, e quibus num ea potissimum, cuius est v. 391, Plautina sit, dubitare quidem licet.

Digitized by Google

nant cum vv. 94 sqq., at certe quae ratio inter hanc et illam intercedat sententiam ne verbo quidem significant. Quod denique gravissimum est, plane diversas cur ad Menaechmum eat causas vv. 96 sq. et vv. 107 sq. indicat Peniculus. Quibus argumentis alii poetae deberi vv. 79—97 alii vv. 98—109 effici mihi videtur.

Iam in ea quae sequitur scaena v. 130 spurium iudica- I 2
vit Brixius, cuius sententiam Goetzius (mus. Rhen. XXXV 481. 2) ita probavit, ut hunc versum tenendum, eiciendum v. 133 censeret: utrumque ferri posse versum negant uterque. Qua in re quamquam veri aliquid eos sensisse minime sum infitiaturus, tamen neutro versu carere nos posse existimo. Nam nec v. 131 intellegitur nisi antecesserit v. 130 et versu altero (133) sententiarum vis optime augetur: non solum uxorem meam, Menaechmus inquit, palla privavi, sed ne mihi ipsi quidem inferre damnum, dummodo illi inferrem, dubitavi. At simillimi inter se sunt versus: sane si Brixio credis corrigenti *ad amicam deferetur;* qui num iure temptaverit hunc versum, magno opere dubito; intolerabilem enim scripturam traditam esse mihi non persuasit [1]), praesertim cum hac magis illustrentur verba *meo malo abstuli* quam Brixiana. Etiam si igitur vv. 130—133 inter se optime censeo cohaerere, tamen post v. 129 non apte sequi v. 130 manifestum est: Menaechmus postquam qua fortitudine contra uxorem pugnavisset gloriatus est, non potuit nulla interposita coniunctione dicere de furto clam eam commisso; praeterea multo maior vis esset verborum *ad scortum fero*, si scorti prima haec esset mentio. Non minus autem inter se pugnant vv. 133 et 134: priore versu suo malo, altero suorum sociorum salute pallam se abstulisse dicit Menaechmus: quas sententias nullus puto poeta ita coniunget [2]). Qua re cum v. 134 eandem qua antea gloriatus est fortitudinem prae se ferat Menaechmus, alii poetae tribuendi videntur vv. 130—133. Quam opinionem ratio metrica etiam confirmat:

---

[1]) Cf. Bacch. 66, Men. 988, Trin. 314, Truc. 304.

[2]) Vssingius quidem Brixianam versus 133 emendationem his verbis commendat: «*ad damnum*» *cum proximo versu parum congruit, ubi est de salute.* Nihilo minus non congruere verba *meo malo* ille non animadvertit.

Digitized by Google

miro enim modo octonariis iambicis nunc interpositus est septenarius v. 133.

Pallam surreptam Menaechmus induit (vv. 143 sqq.) atque ita induit, ut facile conspiciatur (vv. 146, 190 sq.). Quam cum parasitus animadvertisset rogassetque *Quis istic ornatus tuust?*, Menaechmum de furto parasitum certiorem facere oportebat: quod si *dic hominem* inquit *lepidissimum esse med,* nemo non ita intelleget, ut eum ad facinus quod dixit luculentum (v. 141) respicere opinetur. Re vera autem a parasito, quem ad cenam est ducturus, antea volt praedicari[1]). Quae cum ita sint, vv. 146 et 147 inter se non esse aptos elucet. Iam ubi pallam parasito monstrat (vv. 166 sqq.), ita rogat Menaechmus (v. 163 *Ecquid — si quid forte olfeceris* v. 166 *hanc quam ego habeo pallam*), quasi pallam nondum commemoraverit, et Peniculus, qui v. 146 se nihil dum de ea comperisse ostendit, ita respondet, ut eum verba Menaechmi vv. 130—133 ex insidiis audivisse intellegamus. Duas igitur huius scaenae recensiones invenimus; inter quas illud quoque intercedit, quod in ea, cuius sunt vv. 158—170 Menaechmus pallam non induisse, sed aliquo modo sub pallio abdidisse videtur. Quem modum ut facilius credas ab ipso fabulae inventore electum esse, quoniam pallam clam surreptam quam celerrime abscondere oportebat Menaechmum, ita re vera alterum retractatori deberi, qui Menaechmum ioci causa quasi cinaedum inducere voluerit, infra veri etiam evadet similius.

Sed antea e vv. 152—157 quaestio oritur, in qua iam plures laborarunt viri docti. Ordinem librorum si servamus, post v. 151 hiulca est oratio[2]) et v. 157 cum v. 152 coniungi non potest. Nam quod Teuffelio[3]) recentiores[4]) credunt *obloqui* apud Plautum aliud posse significare quam *contrarium dicere*, errant; miro autem modo Ladewigius *obloquere* illud explicare conatur[5]). Itaque rectissime Bothium quem Ritsche-

---

[1]) Cf. Brix[3] ad v. 151 (147 R).

[2]) Hoc enim recte vel contra Vssingi argumenta contendit Lorenzius l. i. p. 1209 sqq.

[3]) Annal. philol. XCV p. 33 = Teuffeli studiorum p. 266.

[4]) Brixius in edd., Lorenzius l. i., quibus adnumerandus videtur Vssingius.

[5]) Philol. I p. 292 sq.

Digitized by Google

lius sequitur vidisse puto v. 152 post v. 150 esse conlocandum, quippe quo Peniculus reapse oblocutus sit Menaechmo. Dixerit forsitan quispiam non intellegi, cur tam subito obsequentem se praebeat parasitus; quae dubitatio solvitur, si verba Menaechmi *Te morare, mihi quom obloquere* acrius contemplamur: ex oppositis enim pronominibus *te* et *mihi* boni aliquid sibi instare Peniculum concludere eamque ob causam summum polliceri obsequium consentaneum est. Vituperandum tamen in Bothi sententia id videtur, quod vv. 153 et 158 qui optime coniunguntur in libris divellit. Itaque eorum versuum (154—157), qui turbarum istarum sunt causa, potius quam mutare sedes alium poetam putare praestat: alius recensionis frustulum hoc loco servatum est.

Sed ne reliqua quidem huius scaenae pars recte procedit. Post Peniculi enim verba *Furtum, scortum, prandium* tam copiose non iam de proposito suo disserere debebat Menaechmus. Quibus verbis cum parasitum superiores Menaechmi versus (130—133) audivisse atque de eius consilio certiorem esse appareat, Menaechmo nihil restabat dicendum nisi: Dixisti, eamus. Versus autem 173 sqq. aliquis coniciat compositos esse, ut uberius explicaret Menaechmus, quae parasito vv. 154 sq. pollicitus erat, praesertim cum verba *Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus* vinculo aliquo coniuncta videantur cum illis *sepulcrum habeamus atque hunc comburamus diem.*

In tertia deinceps scaena non multa observanda esse I 3
nemo mirabitur; eo graviora tamen retractationis vestigia inveniuntur. Lacunas quidem, quas Ritschelius ante vv. 184 et 195 [1]) indagasse sibi visus est, suo iure Brixius esse negavit, sed quae vv. 185 sqq. et 208 sqq. Erotio mandat Menaechmus tantum inter se differunt, ut uni utrosque versus poetae tribuere vix possis. Immerito enim Vssingius vv. 186—188 integros Peniculi esse contendit[2]): *hodie id fiet* sine dubio Eroti sunt adsentientis ac mandatum se exsecuturam esse promittentis, tum illis verbis *in eo uterque proelio potabimus* eqs. ea quae v. 185 indicarat, explicat Menaechmus;

---

[1]) Cf. Goetzium mus. Rhen. XXXV p. 483. 1.

[2]) Optimo autem iure idem v. 190 adsignavit Peniculo.

Digitized by Google

Vssingius quidem in illo versu Scaligerum secutus scribit *apud te prandium* intellegi posse negans quod in libris est *proelium,* sed parasiti verba *in eo uterque proelio potabimus* num magis censet intellegi, nisi v. 185 proelium sit dictum? Hac igitur via nihil proficimus; quam ut ingrederetur Vssingium fortasse id quoque movit, quod vv. 186—188 et v. 189 non ab eodem pronuntiari potuisse homine intellexerat: si enim tanto opere amabat Erotium Menaechmus, quo modo credamus eum illam parasito, si forte valentior in potando exsisteret, fuisse concessurum? Accedit quod verba *ubi te aspicio* parum apte Menaechmus profert, si iam complura cum ea locutus erat; qua re a v. 189 aliam huius scaenae conformationem exordium capere mihi persuasum est[1]).

II 1 Ad alterum iam accedendum est actum, cuius in prima scaena uno tantum loco, quae novatorem demonstrarent, inveni. Haereo autem in vv. 240 sq. Verbi enim numero et personis a Messenione modo mutatis (v. 238 *sumus circumvecti — quaereres* v. 239 *invenisses)* non possumus non aegre ferre iterum positum pluralem *quaeritamus — invenissemus*; praeterea intolerabile fere videtur, quod nulla coniunctione quae inter vv. 240 sq. et superiores intercedat ratio indicatur. Addere denique licet, quod eadem verba vv. 238/239 et 240/241 occurrunt. Quid? quod miro deinde modo Menaechmi verbositas vv. 242—246, e quibus v. 243 Ritschelius, v. 245 Ladewigius (Philol. XVII p. 463) eiciendos censuere, a brevibus eiusdem sententiis vv. 232 et 249 sq. differt, quas paucorum verborum esse vel Messenio attendit (v. 252). Illis autem versibus quo iure Messenio ea respondeat, quae insunt in vv. 247 sq., non video: nam neque *in scirpo nodum quaeris*

[1]) Verbum *Scio* v. 207 recte defendisse Lorenzium l. i. p. 1211 censeo, etiam si quod Wagnerus attulit argumentum (‘*Erotium had already been informed of Menaechmus’ intentions v. 185*’) iam non valet. Sed cf. v. 677. — Versus autem 210—212 ex alia huc fabula inlatos esse Buechelerus me docuit. Neque enim solum nimio spatio disiuncti sunt vv. 209 et 213, qui quam proxime conlocentur oportet propter verba *Atque actutum* ad illud *iube* referenda, sed etiam iocularia illa scitamentorum nomina parasitico sermoni potius quam serio mandato apta sunt, et v. 212 de gustatione dici potest, non potest de prandio.

Digitized by Google

postquam caritate se permotum fratrem quaerere erus declaravit, neque reliqua post vv. 244 sq. poterant dici. Contra optime isti versus ad v. 239 adplicantur: erroribus illis quibus vel amissam invenire potuissent acum narratis servum ero, quod infructuosa sibi ipse facessat negotia, obicere atque ab eo ut domum redeant petere consentaneum est. Quae cum ita sint, vv. 240—246 ab alio atque ceteros poeta profectos esse arbitror.

Sequitur altera scaena qua Menaechmo obviam fit cocus II 2
cumque eo satis longum instituit sermonem; quem non totum esse genuinum facile est intellectu. Nam etsi non multum tribuendum est versibus arg. acr. 9 et fabulae 1135, quibus coqui mentio fit nulla, tamen tot res in ea insunt, quae iterum proferuntur in scaena tertia, ut eidem poeta has repetitiones nullo modo liceat tribuere; conferas quidem inter se versus hos:

281 sqq. et 389 sq.
285 sq. et 391
297 sq. et 382 sq.
305 sqq. et 379 sqq.[1])

His autem argumentis commoti ne totam scaenam post demum additam existimemus esse, versu potissimum 357 *(Sed ubi ille est, quem coquos ante aedis ait esse?)* impedimur, cui propterea hac in re multum est tribuendum, quia mutatis modis cantica vere Plautina esse maxime probabile est; accedit quod (vv. 522 sq.) meliore iure Menaechmus dicit: *satine ut quemque conspicor, Ita me ludificant,* si deinceps a coquo, meretrice, parasito ludibrio se haberi putavit, quam si cum duobus tantum congressus esset hominibus. Iam ad ipsa verba si accedimus, primam praebet difficultatem lacuna illa, quam inter vv. 278 et 280 intercedere ex codicum Palatinorum corruptelis et Ambrosiani testimonio Ritschelius conclusit. Qui quam Brixio probavit restitutionem, ei non adsentior. Neque enim solum per se veri simile est Menaechmi esse verba *Non hercle vero,* sed etiam post illud *quisquis es*

---

[1]) Tertium idque gravissimum argumentum Buechelerus mihi indicavit: v. 282 si Menaechmus cocum insanum esse sibi visus erat cognoscere, multa illa quae de insania inter eos dicuntur loco inferiore ac disiuncto eiusdem esse poetae haud facile credas.

Digitized by Google

cocum interrogasse *Non me novisti aut nescis quis ego sim?* eique illis verbis Menaechmum respondisse e versuum 293 sq. et 501 sqq. similitudine facile conicias. Culindrus autem qui num illi ignotus esset omnino non dubitarat serio, responsum eius aut non audiens aut certe neglegens pergit quaerendo.

Versus deinceps 284—286 turbare videntur sententiarum ordinem. Postquam enim Menaechmus triplici Culindri percontatione iam irritatus ac vehementer commotus exclamavit *Meum parasitum? certe hic insanust homo,* certe absona vox est etiam aliqua cum comitate interrogantis cocum *Quem tu parasitum quaeris, adulescens, meum?* Accedit quod bis plane eodem modo quaerentem

Quos tu convivas quaeris? et
Quem tu parasitum quaeris?

quin aegre feramus, non possumus facere. Iam si v. 287 spectamus, sine dubio maxime mirum esse nemo non concedet Culindrum nihil de ioco illo dicere, nihil addere de homine Peniculo quo res apertior fiat, sed simpliciter pergere *Menaechme, numero huc advenis ad prandium.* Praeterea nomine cur cocus adloquatur Menaechmum, non intellegimus, cum hic ne verbum quidem dixerit nisi Culindro ipsi [1]). Optime autem v. 287 adplicatur ad v. 283: Menaechmus ad servum conversus exclamavit *certe hic insanust homo* atque ille adsensus erum sui de Epidamniis fallaciis verbi commonefecit. Haec dum inter se locuntur, cocus, qui antea Menaechmum Peniculo absente non esse cenaturum speraverat, ab eo autem de parasito interrogans est repudiatus, necessarium putat summam rei de qua agitur proloqui et *Menaechme* inquit *numero huc advenis ad prandium: Nunc opsonatu redeo.* His autem auditis Menaechmus non iam dubitat, quin homo sit insanus (cf. v. 292 *certo scio*) suadetque ut se iubeat piari. — Iam pervenio ad vv. 294—301, quorum ordinem mutandum censuit Brixius argumentis usus, ut mihi videtur, non sufficientibus. Maxime ille in v. 297 offendit, cum nullo modo his verbis respondere potuerit cocus Menaechmo, qui se eum novisse pernegavisset: immo post v. 293 dicendum fuisse co-

[1]) Non recte enim Ritschelium v. 285 aliquot verba Menaechmo tribuisse ex Loewi codicis Ambrosiani collatione apparuit cf. mus. Rhen. XXXV p. 482 sq.

Digitized by Google

quo: tu mihi non es ignotus, quippe qui nomen tuum sciam; versibus igitur 297—301 post v. 293 insertis hanc efficit seriem:

Nam equidem edepol insanum esse te certo scio,
293 Qui mihi molestu's homini ignoto, quisquis es.
297 CV. Est tibi Menaechmo nomen, tantum quod sciam.
ME. Pro sano loqueris, quom me appellas nomine,
Sed ubi novisti med? CV. Ubi ego te noverim,
Qui amicam eram meam habeas hanc Erotium?
301 ME. Neque hercle ego habeo, neque te qui homo sis, scio.
294 CV. Culindrus ego sum: nomen non nosti meum?
ME. Seu tu Culindru's seu Coriendrus, perieris.
296 Ego te non novi neque novisse adeo volo.
302 CV. Non scis, quis ego sim, qui tibi saepissume
Cyathisso apud nos quando potas? eqs.

Versibus ita dispositis id quoque lucrari sibi videtur, ut et verba *pro sano loqueris* ad v. 292 qui modo praecessit, facilius referantur et v. 294, qui post v. 293 sine causa esset positus, Menaechmi verbis, qui paene iratus se cocum nosse versu iam antecedenti negaverat, optime respondeat. Sed ne ipsum quidem haec disputantem fugit vv. 296 et 302 non bene inter se coire, quocirca hunc versum olim a verbis *non nosti* coepisse coniecit. Si autem versuum ordinem qui traditus est contemplamur, id omni liberum dubitatione videtur vv. 301 et 302 tam arto inter se contineri vinculo (v. 301 *neque te, qui homo sis, scio* v. 302 *non scis quis ego sim*), ut eos seiungere nefas videatur esse. Brixi deinde si spectamus argumenta, non recte versui 294 post v. 301 potius quam post v. 293 locum esse condendit; immo si verbis *quisquis es* cocum adloquebatur Menaechmus itaque se nomen nescire significabat, non potuit cocus non respondere:

Culindrus ego sum: nomen non nosti meum?

Quod si recte disputavimus, simul apparet, quam nullo iure affirmaverit Brixius post v. 293 coquo dicendum fuisse: tu mihi non es ignotus, nomen tuum novi. Restat igitur primum idque gravissimum Brixi argumentum — nam quae de verbis *pro sano loqueris* rectius intellegendis dicit, non tanti sunt momenti, ut videantur refutanda — quo post v. 296 cocum

Est tibi Menaechmo nomen, tantum quod sciam

dicere non potuise contendit. Qua in re etsi veri aliquid eum

Digitized by Google

sensisse ne ego quidem negabo, tamen sententiarum ordinem explicari saltem posse existimo. Cocus enim nihil dubitavit, quin cum Menaechmo erae amico sibique notissimo conloqueretur. Iam cum hic v. 293 eum appellet *quisquis es*, non potest non opinari Menaechmum, qui se Eroti esse servum sciat, nescire nomen. Quod ubi indicavit, Menaechmus etiam iratus: quodcumque, inquit, tibi nomen est, ego te non novi. Quibus verbis auditis coquo movetur suspicio, sitne homo ille re vera Menaechmus, qui tam acriter se novisse neget; quam ut tollat, dubitans aliquantum dicit:

Est tibi Menaechmo nomen, tantum quod sciam.

Quae verba si recte hoc modo sum interpretatus, non inest in iis quod volt Brixius: at ego te optime novi, tibi nomen Menaechmo est. Quare mihi quidem traditus versuum ordo illi quem proposuit Brixius longe praestare videtur. — Neque tamen negari potest tam difficili et a fabulae palliatae rationibus fere aliena opus esse explicatione, ut non omnis de his versibus tollatur suspicio. Quae etiam augetur si intuemur vv. 317 et 318:

Solet iocari saepe mecum illoc modo,
Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest.

Quid hoc est? Cocus Menaechmum modo non satis sanum, hic illum iratus odiosum sibi dixit, et hoc coquo videtur iocari? hoc ridiculum esse? Nemo puto non concedet duos hos versus ad eos qui antecedunt nullo modo posse aptari. Si autem quo potissimum loco inserendi sint quaeras, unum tantum in tota invenias scaena quo Menaechmum iocari sive ridiculum esse cocus suo iure potuerit dicere, post v. 296; ibi enim quod coquo ridiculum videri oportuit, ut se piari iuberet, suaserat et ipsum coqui nomen illuserat Menaechmus. Versui igitur 296 adserendos censeo vv. 317 et 318. Sed quid faciamus versibus 297—316, quibus sententias satis bene procedere non negaveris? Alterine adtribuamus recensioni? Huic rei maxime obstant vv. 310—314, quos qui composuit, sine dubio respexit vv. 288—291; illos autem versus post demum ab interpolatore esse adiectos cur existimemus, non ea sufficit causa, quod simillimi sunt vv. 309 et 314

Insanit hic quidem, qui ipsus male dicit sibi
Menaechme, qui nunc ipsus male dicas tibi,

Digitized by Google

quia alterutrum interpolatum esse Vahleno (mus. Rhen. XVI p. 635) concedendum videtur [1]. Quae cum ita sint, nihil aliud videtur restare nisi ut totam illam partem, qua vv. 296 et 317 disiunguntur, postea additam esse arbitremur. Quae opinio etiam eo confirmatur, quod non satis est probabile eum servum, quem pro coquo habebat Erotium, praesertim cum id ipsum a consuetudine abhorreret (cf. Ladewigium Philol. I p. 288), cyathissandi quoque munere fungi solitum esse [2]. Sed ut versus illos 317 et 318 cum superioribus non posse coniungi intelleximus, ita ab iis qui secuntur alienos esse aperte demonstratur v. 319, qui in libris sic est traditus:

Quid ais tu? quid vis? inquam. — Satin hoc quod vides —

Quam scripturam cur cum Ritschelio mutemus, propterea nulla causa est, quia quae secuntur adeo non cum antecedentibus coeunt, ut ab hoc ipso versu alius recensionis particulam incipere veri videatur simillimum. Hos enim versus (319—325) non ab eodem scriptos esse poeta atque qui praecedunt, ex his argumentis apparet. Primum fieri vix potest, ut idem cocus versibus primis (273 sq.) dicat:

Bene opsonavi atque ex mea sententia.
Bonum anteponam prandium pransoribus

et postea dubitans interroget Menaechmum, satisne obsonaverit; deinde postquam antea de muliere (vv. 300 sqq.) et parasito (vv. 281—286) iam pluribus dictum est, non potuit Menaechmus illis verbis uti (vv. 321 sq.) *quas mulieres, Quos tu parasitos loquere?* Ridiculus praeterea esset Messenio, si nunc demum intellegeret (vv. 322 sq.), quod iam antea eodem verbo dominus dixerat, hominem illum sibi esse molestum (v. 293); maxime denique esset mirum, si hoc loco (vv. 323 sq.) hominem sibi ignotum Messenionem repudiaret cocus, cum ille per totum qui praecedit sermonem non modo adstiterit, sed etiam interdum sit locutus. Quibus rebus versus illos cum omnino non coire cum iis qui antecedunt tum ne ad unam quidem earum quas supra cognovimus huius scaenae particularum aptari posse confirmatur.

---

[1]) Eiciendus videtur prior versus, cum versuum 313 et 314, quos servandos esse Brixius demonstravit, vim maximo opere infringat.

[2]) A cyathis solent esse pueri, quorum protervitatem his versibus cocus imitari alicui videatur.

Digitized by Google

Huius partis initium ut e codicum scriptura cognovimus, ita qui ultimus sit versus ex eadem apparet. Traditus enim est v. 326 ita:

Iam ergo haec madebunt faxo: nil morabitur.

Quae cum ad versum superiorem non apta esse videret, Ritschelius scripsit *Iam ego haec madebunt faxo*. Sed versibus illis quos alteri scaenae conformationi adtribuimus seclusis vv. 318 et 326 aptissime coeunt. Culindrus enim saepius secum iocatum esse Menaechmum recordatus simulque prandium quam citissime esse parandum memor, Menaechmi nugas non curare, sed potius cenae adparandae operam dare statuit.

II 3 In reliqua scaenae parte quoniam quibus offendamur non insunt, iam ad eam accedendum videtur scaenam, qua cum ipsa Erotio congreditur Menaechmus. Atque in hac quidem primum haereo in v. 387. Menaechmus cum scire velit, num eam solam ob causam meretrix, quia marsuppium conspexit, se invitaverit, hoc Messenioni ita tradit, ut iam non apud se esse illa intellegat. Quam rem si cum ratione instituit poeta, non potuit deinde iterum invitantem facere Erotium, nedum Menaechmum dicentem *bene vocas, iam gratiast*: hoc enim modo tota illa res fit irrita. Ego post v. 386 potius aliquid dicendum fuisse Menaechmo puto, quo iam temptaret, utrum se illa magis amaret an marsuppium. Quod quibus verbis fieri poeta voluerit, iam videbimus. Post v. 405 enim aliquid excidisse Ritschelio proximus docere visus est. Sane postquam quaecumque de eo proferebat meretrix repudiavit Menaechmus, non potuit, si illa nihilo minus intrare iterum iubebat, tam simpliciter nullum prae se ferens animi motum dicere: nescio quem alium quaeritas. Accedit quod verbum quaeritandi huic loco minus aptum est. Facillime autem v. 407 coniungitur cum priore illa scaenae parte. Vbi enim Menaechmus dixit:

Accipe dum hoc: iam scibo, utrum haec me mage amet an marsuppium,

ita pergere eum consentaneum est, ut quam maxime appareat, aliamne ob causam invitetur an propter marsuppium: quod quo modo melius potuerit instituere poeta quam ut Menaechmum dicentem faceret:

Nescio quem tu, mulier, alium hominem, non me quaeritas,

Digitized by Google

equidem non video. — Iam ad v. 415 si procedo, non solum ideo cum antecedentibus eum non coire censeo, quia praecessisse oportet Eroti verba Menaechmum ut intraret hortantis, sed etiam quia vv. 415 et 416 ita in servum invehitur Menaechmus, quasi non antea (vv. 373 sqq.) eius consiliis uti se solere demonstraverit. Pernegari non posse Menaechmo videtur: primum enim v. 387 negavit. Cum ea igitur parte (vv. 387—405) hi versus coniungendi sunt; atque in v. 405 habemus illam Eroti invitationem alteram, quae ante v. 415 desideratur. Versum itaque 405 olim excepit v. 415. Neque tamen plures quam duos versus (415 et 416) una comprehendere licet: alius sunt poetae qui secuntur. Desunt enim verba Menaechmi, quibus abire Messenionem iusserat, quae res etsi non e v. 432, ut ait Ritschelius, efficitur — quidni enim ab initio in hac recensione servum procul putamus stetisse? — tamen e verbis *iam dudum, mulier, tibi Non imprudens advorsabar: hunc metuebam, ne meae Vxori renuntiaret de palla et de prandio* sine ullo dubio concluditur. Nihilo minus ne re vera eiusmodi verbis olim vv. 416 et 418 coniunctos fuisse existimemus, vv. 438 sqq. potissimum impediunt; qui quo nunc positi sunt loco, ferri nullo modo possunt: primum enim in verbo *inquam* iam offendit Ritschelius; deinde si Menaechmus paulo ante (v. 435) se praedam habere id est hospitium, quod sperabat, nactum esse (v. 419) dixerat, quid sibi volunt verba *si quid ego stulte fecero*? denique non credam eundem poetam v. 435 scripturum fuisse *habeo praedam* et v. 441 *est hic praeda nobis.* Nihil tamen est apertius quam v. 438 ad v. 416 respicere artissimeque cum eo fuisse coniunctum; quod si recte statuimus, simul est manifestum vv. 418—437 alii tribuendos esse poetae. Qui non potest esse idem, cuius esse vv. 369—386 et vv. 407—413 supra cognovimus: neque enim veri est admodum simile eundem poetam Menaechmum primum cum servo pluribus deliberantem (vv. 373 sqq.), deinde remoto servo apud se solum reputantem (vv. 418 sq.) induxisse. — Difficile iam et anceps est de v. 433 iudicium. Quem recte ita videtur interpretari Brixius, ut praecessisse existimet verba, quibus Menaechmus se esse intraturum significaverit iisque ita censeat respondere Messenionem *quid eo opust?* Confirmatur enim haec sententia illis

Digitized by Google

scio ut me dices et *tanto nequior.* Illud tamen haud scio an non potuerit inesse in verbo illo extremo versus 432 quod traditur *sussciri.* Cum igitur versus 433 non possit aptari antecedenti, tum quin is qui sequitur minime eum eo coeat, quis dubitabit? Quoniam autem vv. 435—437 optime consentiunt cum iis rebus quae in vv. 418—432 explicantur, interim maxime probabilis est Camerari coniectura, qui monstrum illud *susciri* e verbis *scire vis* ortum esse opinabatur. Satis bene enim hi versus alius alium excipiunt:

Iam sequar te: hunc volo etiam conloqui.
Eho Messenio, ad me accede huc. MES. Quid negotist?
MEN. Scire vis?
Habeo praedam: tantum incepi operis eqs.

Versum autem 433, quippe in quo Menaechmus ut de se iudicet Messenioni concedat, ei potissimum recensioni arbitror adtribuendum, qua Menaechmum cum servo deliberantem cognovimus. — Versum 438 eosque qui secuntur ad vv. 415 et 416 referendos esse supra statuimus; iam videndum est, possintne omnes reliqui huius scaenae versus eiusdem esse recensionis. Qua in re mihi quidem dubium non videtur, quin post v. 441, quo probe periisse servus dominum adfirmavit, maxime langueat v. 442

Ducit lembum iam dierectum navis praedatoria;

deinde ubi erus dixit (v. 439)

Mihi dolebit, non tibi, si quid ego stulte fecero

neque iam eum retinere conatus est servus, hic non potuit ita loqui (v. 443 sq.)

Sed ego inscitus sum, qui ero me postulem moderarier:
Dicto me emit audientem, haud imperatorem sibi.

Qua re quattuor illos versus qui huius scaenae sunt extremi, ab iis qui antecedunt segregandos esse censeo; neque in ea huius scaenae conformatione locus iis fuit, cuius reliquias vv. 418—432 et vv. 435—437 esse intelleximus: maxime autem digni sunt eo poeta qui Messenionem re vera si non imperatorem domini at certe consiliorum auctorem finxit, cui vv. 369—386, 407—413, 433 adtribuimus; neque inter v. 433 et v. 442 aliquid interiisse necessarium est. Trium igitur huius scaenae conformationum nobis contigit invenire reliquias: alius sunt poetae vv. 369—386, 407—413, 433, 442—445,

Digitized by Google

alius vv. 387—405, 415—416, 438—441, alius vv. 418—432, 435—437. Ex tribus autem illis minime genuina videtur ea, quam tertio loco memoravi: si enim Menaechmum in omnibus rebus Erotio adsentientem in scaena viderant spectatores, quid tandem haec omnia eum iterum narrare (vv. 480—484) opus erat?

In Peniculi, a quibus actus tertius exordium capit, verbis III 1
dittographiam invenit Brixius: e versibus enim 453 sqq. et 457—459 alterutri sine dubio supervacanei sunt; utri autem recentiores sint habendi, equidem non facile ausim diiudicare. Sed ad graviora propero; maxime enim mirum est nullum adhuc editorem in eo offendisse, quod plane aliam cur in foro disiuncti sint causam adfert Peniculus aliam Menaechmus. Ille in contionis turba patronum amisit, huic in foro cliens negotia facessens, ne consilia exsequeretur, impedivit. Qua ex re mihi quidem concludendum videtur aut Peniculi hanc orationem aut illud de clientum nequitia canticum (IV 2) non a Plauto esse profectum. De qua causa quid iudicandum sit, apparet: neque lyrica eiusmodi cantica posteriore aetate composita esse credibile est et in hoc de quo dicimus Peniculi sermone insunt quae ab ingenioso poeta alienum eum esse evincant. Nam primum paenitere se dicit, quod in contionem se immerserit: hoc autem propterea nihil valet, quia omnino non licuit ei quo ipse volebat ire, sed Menaechmum se secuturum esse spoponderat (vv. 216 sq.). Tum quod in eum invehitur qui primus commentus est contionem habere, otiososque ad id negotium deligendos esse homines censet, huc non pertinet: quis enim prohibuit, si libero se arbitrio in contionem immerserat, quo tempore vellet exire? Qua re praesertim cum de foro verbum fiat nullum, retractatoris in his versibus manus agnoscere mihi videor. Qui quin suis versibus effecerit, ut genuini aliquot perirent, ne Spengelium quidem dubitaturum esse arbitror, qui ut post Menaechmi cum ancilla conloquium demum tertium exordiretur '*actum*' in eo non offendendum esse sibi persuasit, quod tam brevi spatio interiecto ex Eroti domo exiret Menaechmus[1]).

Atque unus quidem ex illis nisi fallit species servatus III 2

---

[1]) Spengel *die Acteintheilung der Komödien des Plautus* p. 21 sq.

Digitized by Google

est. Eius enim quae sequitur scaenae rationes si acrius contemplati erimus nobiscum, facile cognoscemus vv. 466—473 cum ceteris coniungi non posse. Quos qui composuit eum ea scaenae II 3 usum esse recensione (vv. 418—432), quam cum vv. 480—484 pugnare supra diximus, efficitur e v. 468, qui nisi ante auditis vv. 428 sq. recte intellegi nequit. Praeterea vel auditis vv. 466—468 phrygionis nomen unde Peniculus acceperit, non possumus non mirari, eaque in re suo iure offendit Wagnerus [1]). Illis igitur versibus ut par est remotis, ecce initio scaenae apparet septenarius trochaicus integer (v. 465 R), quem cur non superioris scaenae extremum habeamus hoc loco servatum, nulla videtur esse causa. Immo optime convenit ei quae sequitur scaenae conformationi, cum in ea parasitum Menaechmi verba vv. 474—477 et 480—485 non audire e vv. 478 sq. atque adeo e v. 486 eluceat [2]). Qua in parte tractanda non videntur neglegendi, qui ad eam respiciunt vv. 627—633. Pallae enim a se in Menaechmi Sosiclis manibus visae parasitus mentionem ibi facit nullam, quapropter omnino eum non conspexisse hac in scaena ornatum illum muliebrem conicio. Atque omnes illi versus, quibus eo adstante et matrona ut palla a meretrice referatur imperat et Menaechmus se non dono sed utendam illam dedisse adfirmat, irriti essent, si asportari eam ex Eroti aedibus vidisset Peniculus. Quod si hac de causa vv. 507 sqq. cum superioribus coniungi non posse probabile est, comprobatur haec opinio eo, quod parasitum insaniae opprobrium tam patienter laturum fuisse vix credas. Accedit mirus rerum ordo in vv. 509 sq. nomenque Eroti a Menaechmo usurpatum, quem ex ceteris locis illud nescivisse potius quam cognitum

---

[1]) '*The parasite appears to be tolerably acquainted with the demands of such women as Erotium, as he supposes at once that Menaechmus carries the palla to the embroiderer's . . . . . . It should not be overlooked that Peniculus was not present, when Erotium addressed that request to Menaechmus.*'

[2]) Versum 478 Peniculus dicere non potest nisi de Menaechmi verbis coniciens; nam quod Teuffelius Brixio persuasit iungenda esse verba *satur de me*, id fieri non posse Lorenzius (l. s. i. p. 1209) sensit, quocum cf. Bergki *Beiträge zur lat. Grammatik* I p. 59.1. Mihi vv. 478 et 479 παράλληλοι videntur esse.

Digitized by Google

habuisse concludas. Versum 512 ad superiores adiungi non posse dudum perspectum est. Quem qui fecit eam sequebatur recensionem, qua Menaechmus palla indutus ad Erotium ivisse fingebatur. Recentiorem autem versuum 507—510 poetam quam hunc esse ex ipso versu 512 haud scio an liceat concludere, quo palla ita commemoratur, ut non palam a Menaechmo videatur gestari. Sed quoniam omnino pallae mentio ab hac scaena aliena est[1]), ne hos quidem versus pro genuinis esse habendos affirmaverim; spurios esse arguit v. 517, cum potueritne tam nude ac simpliciter interrogare Menaechmus *non te iubes piari?* sane liceat dubitare (cf. vv. 290 sqq.). Versus autem 518 sqq. cur non ad pristinam huius scaenae formam referamus, causa prorsus nulla videtur esse.

Sed non contenti fuere qui fabulas retractarunt verbis III 3
aut factis, quae a Plauto acceperant, immutatis: integras etiam scaenas addiderunt. Ex quo numero tertiam terti actus esse facile est intellectu. Wagnerus quidem optimo iure haec adnotat: '*It is somewhat improbable, that the servant should now come out of the house after Menaechmus had left it a considerable time ago.*' Praeterea ad totum fabulae argumentum spinter adeo nihil conferre, ut cur omnino commemoretur non intellegamus, quis est qui neget? Denique si eos locos inspicimus quibus eius in reliquis fabulae partibus fit mentio, alios eorum interpolatos, alios ita scriptos videmus, ut eiusdem scaenae altera fuerit eaque genuina conformatio. Qui versus quoniam suo quisque loco infra tractabuntur, hic omittendi sunt; totam vero eam scaenam, qua primum cum matrona congreditur Menaechmus Sosicles (V 1) ita comparatam esse, ut spinteris omnino ab hac fabula alienam esse mentionem luce clarius appareat, commemorandum duco. At obiecerit forsitan quispiam: quod tu censes matronam v. 734 aurum dicere nisi ipsum illud spinter? Sane dicit, sed hic ipse locus cum ratione fabulae nonne pugnat manifesto? De palla surrepta certior facta erat mulier a Peniculo, unde tandem de auro resciverat? Pallam eum ferre dicit (v. 705), spinter non dicit; an putas illam si in manibus eius aurum dudum sibi

---

[1]) Quae si iniciebatur, fieri vix potuit, quin Menaechmus ne praeda sibi eriperetur se timere aliquo verbo significaret.

Digitized by Google

surreptum conspexisset, nihil amplius viro exprobraturam fuisse quam vv. 734 sq. exprobrat? Profecto haud ita parcentem verbis eam poeta depinxit. Quibus argumentis etsi totam scaenam III 3 a Plauto alienam esse satis confirmatur, tamen ne ipsa quidem interpolationibus libera est. Primum enim nullam ancillam ne stolidissimam quidem credam interrogaturam fuisse (v. 539) *dicam curare?*, postquam tot verbis declaravit Menaechmus (vv. 528 sq.):

> Et istuc et aliud, si quid curari volet,
> Me curaturum dicito, quidquid volet.

Versus deinde 534 plane insulsus est: quae enim ista causa est, ut reddat spinter, quia se olim dedisse non meminit? Quamvis porro veri sit dissimile Menaechmum modo dolo suo gloriatum (vv. 480 sqq.) hoc loco non sensisse quidquid mulier diceret idem sibi esse dicendum, hoc tamen omni cum ratione pugnat eundem deinceps ultro ista de armillis fingere. Quibus argumentis cum accedat, quod vv. 536 sq. metro paene carent, quod in versibus 529 atque 548 plane eadem occurrunt verba, quod denique vv. 537 et 539 nullo modo coire Ladewigius et Ritschelius intellexerunt, merito vv. 528—537 alii poetae tribuere mihi videor[1]). Contra quamquam ipsam hanc scaenam retractatoris potius quam poetae artem ostendi redolere, tamen extremis eius versibus etiam genuinae opus erat fabulae; nam Menaechmum cum coronam in viam abiecisse postea (v. 565) memoratur, tum post scaenam III 2 ad quaerendum Messenionem abiisse et per se satis probabile est et versibus 701 sqq. confirmatur.

IV 1 Proxima scaena quamvis paucis constet versibus, tamen duobus eam versuum paribus auctam esse (vv. 563 sq. et vv. 568 sq.) e rationibus supra (p. 16) expositis sequitur; quae sententia in prioribus eo stabilitur, quod non modo supervacanei sunt — Peniculus enim omnia quae de Menaechmi flagitiis comperta habebat mulieri narraverat (cf. vv. 559 sqq.) — sed etiam parasitus Menaechmum ebrium fuisse dicit, quam rem in scaena III 2 nullo verbo significat. Versus autem

---

[1]) Veniat quidem alicui in mentem versus 534 et 536 sq., siquidem intellegi vix possunt, etiam posteriore tempore esse adiectos; sed quis haec certo diiudicabit?

Digitized by Google

568 et 569 huc non pertinere etiam apertius est: nam ne dicam quam sit dissimile veri Peniculum, postquam mulierem ut male habeat virum, hortatus est [1]), ita pergere *Huc concedamus: ex insidiis aucupa*, paene ridiculum est mulierem vehementi commotam ira (v. 559) ex parasito, quid cum viro agat, quaerere, quasi eius nesciat flagitia.

Ad alteram deinceps quarti actus accessuri scaenam IV 2
Vssingi notabimus securitatem, qua rudem illam indigestamque versuum molem pro genuina et antiqua habere comoedia non dubitat. Qua in opinione etsi adsentientem nactus est Lorenzium (Bursiani *Jahresbericht* 1880 p. 74 sqq.), tamen rectius sensisse Ladewigium, Ritschelium, Brixium, qui ita ut traditi sunt versus ferri non posse arbitrati sunt, brevi intellegemus. Qui quoniam versibus transpositis omnes difficultates tollere sibi videbantur, factum est, ut qualis in codicibus sit versuum ordo, ex editionibus non liceat perspicere: qua re in tractanda hac scaena Gronovianis quam Ritschelianis uti numeris praestare ratus sum. Atque primam movent difficultatem vv. 33 sqq. Verba quidem illa *diem corrupi optimum* post v. 31, quo clientem sibi diem corrupisse dixerat Menaechmus, tolerabilia non sunt; sed quo minus cum Ritschelio eiciamus, omnibus quae secuntur impediri videmur: quibus cum Menaechmus, qua de causa diem optimum appellet, exponat, hoc ipsum ante dici oportuit. Neque illa ad v. 31 possunt referri, quia intercedit prorsus alia sententia haec: me di perdant, qui hodie forum inspexi. Qua re illa *diem corrupi ego optimum* servanda quidem, totum autem hunc locum ab iis quae praecedunt secernendum censeo. Neque verba *quam hodie uxori abstuli atque huic detuli Erotio* plane spuria esse cum Vahleno, Bergkio, Fleckeiseno, Brixio existimo: Menaechmum enim de hac re aliquid dixisse et mulieris verbis *viro me malo male nuptam* demonstratur et versu 40, quo auferendi verbum sine dubio ex ore Menaechmi iteratur; nihilo minus *atque huic detuli Erotio* post *quam dedi* Menaechmum dixisse non crediderim: tenendus est forsitan dimeter iambicus:

quam meae hodie uxori abstuli

[1]) Praesertim si cum Vssingio verba *sic censeo* non minus quam reliquam versus partem parasito adsignamus.

Digitized by Google

Iam si ad septenarios accedimus, cum Ladewigio et Ritschelio aliquod verbum Menaechmi admirationem significans exspectamus; sed quoniam mulieris verbis *mane, male erit potius* necopinus opprimitur, eius generis aliquid periisse non pro certo adfirmaverim. Versui autem 40 post v. 39 locum non esse recte Ladewigius animadvertit. Quem ne cum Vssingio matronae adscribamus, verba *sic datur* obstant, quae et parasito poenas Menaechmum dare aut daturum esse gaudenti optime conveniunt (cf. v. 64) et a muliere, quippe quae nihil dum *dederit*, aliena sunt: nam quod Vssingius sibi fingit alapam eam viro inflixisse cogitari propterea nequit, quia per totam scaenam tristis aegreque ferens potius quam ira fervens describitur. Quod si recte coniecimus, totus versus parasiti est, quia duo illa enuntiata artissimo inter se contineri vinculo per se apparet; sed non minus clarum est tum tantum eum pronuntiari potuisse, si Menaechmus pallam se abstulisse modo professus erat: qua re si cui parasitus statim post v. 36 eo usus esse (cf. Asin. 896) videtur, equidem non contra disputo. Hunc versum ut parasiti esse cognovimus, ita v. 41 matronae esse certum est cum propter totam sententiam tum quia verbo *flagitia* parasitus non utitur. Praecedenti autem non potest adiungi. Neque enim solum quo modo *istaec* dicere potuerit uxor flagitia non intellegitur, sed etiam plura maledica matronae verba antecessisse manifestum est. Quibus conviciis quo minus Menaechmum quaestionem illam *Quid illud est negoti?* opposuisse credamus, nihil est quod impediat. Sed iam a v. 43 alius ordiri recensionis cognoscimus reliquias. Adhuc enim mulierem iratam, Menaechmum audacem vidimus, iam hic mitis ac blandus, illa tristis inducitur. Cum quo mulieris animo male conveniunt verba quae e v. 47 aliquis concludat parasiti esse *perge tu*. Quoniam autem illud *aufer hinc palpationes* mulieris esse oportet[1]) et pronomine *tu* eum qui haec loquitur alium ante adlocutum esse ostenditur, verba *perge tu* matronam parasito dicere necesse est; quae qua in re eum pergere velit, infra intellege-

---

[1]) Peniculi esse nemini puto persuadebit Vssingius, cf. praeter v. 63 Amph. v. 903.

Digitized by Google

tur. Minus mansuetum iterum se praebet Menaechmus v. 45, quem cum v. 44 non coire non modo recte perspexit Ladewigius, sed etiam optimo iure cum v. 42 coniunxit: neque enim potuit in scaenae initio Menaechmus *quid negoti est?* interrogare, nisi antea *quid illuc (*sive *quid hoc) negoti est?* dixerat. In quo versu verba *Quid paves?* non minus quam reliqua matronae videntur tribuenda, praesertim cum in hac recensione parasitum non admodum multa loqui vel e Menaechmi quaestione *vin hunc rogem?* (v. 42) efficiatur. Quod duarum istarum huius scaenae conformationum discrimen etsi non ita comparatum est, ut v. 47, in quo quod legitur *perge in virum* propter feminae iram aptissimum est, ab antecedentibus segregandum existimemus, tamen a v. 48 aliam ut incipere recensionem statuamus nos cogit. Tantum enim abest, ut in vv. 48—55 parasitum minus loquacem videamus, ut in his fere solus mulieris agat partes: cui rei non obstat v. 50, quippe quem illo removendum esse loco post Ladewigium et Ritschelium argumentis comprobare supervacaneum sit: pessime sententiarum seriem eo turbari nemo non videt. Post v. 46 aut v. 47 satis apte eum conlocari posse haud scio an quis opinetur. Quem si iure loco quo in codicibus scriptus est depulimus, clarius etiam apparet, quam recto iudicio Vssingius verba *Quae istaec pallast?* (v. 55) matronae reddiderit. Neque tamen reliqua illius versus verba eiusdem secutus sententiam adsignaverim Menaechmo, sed parasito, cuius esse et sermonis ratio arguit et v. 48 ostendit. Nam verba illa *nutat ne loquar* parasitum uxori nondum de singulis Menaechmi facinoribus rettulisse sed generale aliquid indicasse demonstrant, cuius illam non reminisci cum aegre ferat, se iam nihil amplius dicturum esse ait. Plane diversam igitur huius scaenae cognoscimus formam, a qua haud alienum videtur matronam parasitum ut loquatur hortari; quam ob causam ex ea vv. 43 et 44 superesse credibile est. E superiore autem scaena nisi forte vv. 568 sq. nihil cum ea convenit. Quam recensionem non esse pristinam duobus efficitur argumentis: primum parasitus pallam a Menaechmo ad phrygionem delatam esse novit (v. 54), de qua re supra (p. 16) diximus, et praeterea v. 52 huc ex alia recensione (v. 92) adsumptum esse eam ob causam veri simile est, quia

Digitized by Google

illic tam grave opus erat ius iurandum, hic fere videtur ridiculum. Versus autem hos (48—55) cum superioribus nullo modo coire vel ex eo discere poterant integritatis defensores, quod mulierem v. 45 ipsam de palla surrepta queri et v. 55 quae ista palla sit nescire ineptum est. — Iterum aliter moratos ostendunt coniuges vv. 56 sqq.; vir comem et mansuetum, uxor iratam se praestat. De palla sine dubio nondum incidit mentio. Versum quidem 58 huc non pertinere arbitror; nam cum et quod traditum est *Tristis ad modum est* et verba *non mihi istuc satis placet* (cf. Amph. 292) secum deliberantem prodere videantur Menaechmum, haud scio an suo iure Ritschelius ex initio aliquo scaenae hunc versum servatum verbaque *Nugas agis* ex iis qui circa sunt immerito huc intrusa esse censuerit. Cui quamquam non minus in eo adstipulor, quod versui 62 nisi in scaenae principio locum non esse putavit, tamen vv. 62—74 sine ulla offensa opinor decurrere, ita ut satis magnam huius recensionis partem integram mansisse existimem. Inter quam et scaenam III 2 quae intercedat necessitas, supra expositum est; non neglegendum autem videtur quae in vv. 65 *(ebrius)* et 70 *(peregrinum aibas esse te)* commemorantur, in illa scaena quibus respondeant non habere. — Miram mehercle sibi fingunt mulierem, qui vv. 74 et 75 eidem adscribunt poetae. Quam tandem ob causam quinquiens interrogandam eam fuisse censemus, ut nihil responderet nisi *Quasi tu nescias*? Accedit quod Menaechmus bis iisdem ferme verbis *quid hoc est?* ac *quid id est?* quaerere non potuit. Immo mihi ex duabus illis interrogationibus *quid taces?* et *quin dicis, quid sit?* coniunctis (v. 75) certo videtur concludi posse ante hunc versum aliquem se dicere nolle professum esse. Qua re post v. 55 Menaechmum olim ita rogasse veri duco simillimum. Quod si recte conieci, verba *quasi tu nescias* parasito adsignanda sunt, qui quin sequenti versu clam maritum matronae indicare studeret *Pallast tibi domo surrepta*, fieri non potuit. Haec autem cum sibi dicta esse se opinari vir per fallaciam fingeret, interrogare hoc loco aptissime potuit, quod eum interrogasse e vv. 83—85 vel contra codicum auctoritatem certum est *Palla surreptast mihi?* Tres igitur illos versus, qui isto loco super-

Digitized by Google

vacanei, quin inepti[1]) sunt, ad v. 76 ita ut proposui explicatum referendos puto. — Iam in ea cuius reliquiae sunt vv. 77 sqq. recensione Menaechmum ex uxore quaesivisse, quid tristis esset, v. 81 ostendit. Quo argumento ne commoveamur, ut vv. 43 sq., de quibus aliter supra statuimus, ad eandem censeamus pertinere, haec potissimum obstant: primum quid sibi velit illud *perge tu* non intellegeremus, deinde molestum esset repetitum dissimulandi verbum (vv. 44, 78), tum verbis *me rogas?* (v. 77) uxor ipsam illam quaestionem *(quid tu tristis es?)* videtur reicere, siquidem Menaechmum nihil aliud interrogasse quam *quid tu tristis es?* et *quid id est?* (v. 79) e v. 81 apparet, denique in hac recensione Menaechmus verbis illis *quid tu mihi tristis es?* non potuit uti, sed debuit his *quid tu tristis es?*, quia illud interrogatam uxorem respondere oportebat *Pallam mihi domo surripuisti*, non id quod dicit *Pallast mihi domo surrepta.* Quae cum ita sint, versui 50 adplicanda videatur haec pars, sed in his rebus nihil adfirmare quam incerta proponere satius duco. Versibus 82—85 ut supra exposuimus seclusis in reliqua huius scaenae parte variarum recensionum vestigia nulla, interpolationes duae inveniuntur. Primum versus 90 et 91 postea additos puto esse. Verba enim *tu tu istic* eqs. parasito optime, tristi feminae non convenire contra veteris qui dicitur codicis et Vssingi[2]) auctoritatem videtur tenendum; sed parasitus cum *tu* nondum dixerit, non potest verbis *tu istic, inquam* e v. 88 repetitis recte uti. Accedit quod nulla intellegitur causa, cur Menaechmus, postquam eum furem esse matrona et Peniculus adfirmaverunt, ita interroget *Egon dedi?* Verum expunctis illis versibus omnia procedunt optime: Menaechmus, qui se negare non posse intellegit, iam tum ab Erotio ut pallam reddat petere statuit itaque se omnino eam illi non dedisse

---

[1]) Satis illepide enim v. 82 Menaechmum *Palla surreptast mihi?* interrogantem faciunt; praeterea e mulieris verbis (v. 85) *palla, inquam, periit domo* non opus erat Menaechmum surreptam eam esse concludere: potuit quidem alio modo perire; cf. ex. gr. CIL IV 6. 64. Optime autem inter se iunguntur vv. 82 et 86.

[2]) Quem tamen in versibus 79—81 inter actores distribuendis optimo iure codicem illum secutum esse primo obtutu apparet.

Digitized by Google

uxori iure iurando confirmare audet. Ridiculum autem fere licet dicere quod v. 94 legitur Menaechmi responsum: eodem temporis momento se non dedisse summa fide testatus est, eodem utendam confitetur se dedisse. Praeterea satis mirari non possum, quam ob causam parasitus, qui pallam Erotio donari ipse viderat, Menaechmo post v. 94 non obloquatur. Mulieris denique verba (vv. 96 sq.) hoc loco satis supervacanea ne dicam inepta sunt. Prorsus egregie autem matronae sibi iuramento non persuasum esse significanti (v. 93) Menaechmus respondet: Vt nihilo minus te falsum dicere meque pallam meretrici non dedisse intellegas, *ego faxo referetur*. Quibus de causis vv. 94—97 interpolatoris quam poetae esse credere malo.

IV 3 Maximas igitur huius scaenae esse turbas cognovimus, ac ne una quidem totius fabulae quantum haec immutandi pruritum in retractatoribus excitavit. Nulla fere eorum vestigia in tertia quarti actus deprehendimus, etsi ne illam quidem plane iis vacare contenderim. Primam ii versus suspicionem movent, in quibus spinteris mentionem invenimus. Quam ab hac scaena primitus afuisse e v. 686 cognoscere licet, ubi quod in omnibus codicibus est scriptum *Quia commisi* eqs. ita tantum intellegi posse videtur, ut Erotium nihil nisi unam rem (i. e. pallam) Menaechmo commissam indicet. Quod si eam ob causam vv. 681 sqq. additicios habendos existimo, etiam in iis ipsis insunt, quae hanc comprobent opinionem: primus enim versus in codicibus versus non est et quod in eo *ad phrygionem ut ferres* prorsus similiter dicitur atque in v. 682 *ut ad aurificem ferres,* minus exercitatum prodit poetam; in v. 685 potius dicendum fuisse *nunc te post illac primum video* Vssingius recte monet; forsitan id quoque licet commemorare non prorsus verum esse quod v. 682 Erotium se Menaechmo spinter dedisse ait, siquidem miserat per ancillam. Hoc igitur loco genuinam scaenae turbatam esse formam demonstrasse mihi videor. Versus praeterea 694 sq. ex alia fabula propter similitudinem margini olim adscriptos in sermonem continuum irrepsisse censeo. Qui enim v. 692 Erotium *pedem intro non feres* et brevi post, si argentum ferat, eum non frustra futurum esse dicere credamus? Argentum omnino hoc loco quid sibi velit, non intellegitur: an Me-

Digitized by Google

divortium ut fiat curabo, *nam med aetatem viduam esse mavelim* eqs. Quae cum ita sint, vv. 20 sqq. cum prioribus coniungi non possunt; quam rem sentiens olim aliquis conficto versu 19 quod desideratur duarum particularum vinculum repperisse sibi visus est: nos duos potius poetas cognoscimus. Maxima

[1]) Traditum versuum ordinem quoniam cum Ladewigio mutavit Ritschelius, numeris utor editionum volgarium.

Digitized by Google

deinceps v. 29 editoribus facessivit negotia, in quo immerito Ritschelium pro *At* scripsisse *Haut* ex eo qui sequitur versu elucet. Neque quicquam profecit Vssingius, qui Bothium secutus scripsit *Hanc* v. 655 Menaechmum negavisse contendens. At neque se surripuisse illo versu maritus negavit neque ita eius verba se intellexisse matrona ipsa v. 664 indicat. Quid igitur his versibus faciendum putamus? Mihi quidem res ista non aliter videtur explicari posse, nisi ut poetam aliquem minus diligentem istam sibi sumpsisse audaciam agnoscamus, cum praesertim ita tantum intellegatur, cur protervum in vv. 7 sqq. matrona prae se ferat furorem. Si enim Menaechmus pallam ut erat pollicitus referebat, quidnam causae fuit, ut in obsequentem ira exardesceret maritum? Hi ergo versus haud scio an eidem cui illi tribuendi sint poetae. Versus 29—33 optime inter se cohaerent: versus autem 34 post illos quid sibi velit me nescire fateor; mulierem crederes ista Menaechmi verba (vv. 31—33) *flagitia* dicere. Immo hic versus ex recensione petitus est, e quali supersunt vv. 19 sqq.; quod cum recte sentiret, Ladewigius v. 34 cum v. 28 consociavit; hoc autem num recte fecerit, dubitari saltem licet. Nullam enim, si eius opinionem amplecteremur, inveniremus causam cur non post v. 21 Menaechmus interrogasset, quod v. 39 interrogat: *Quae mea flagitia?* Sed hoc ipsum argumentum nescio an quem commoveat ut vv. 38—41 existimet eiciendos, quibus quam inepte aurum surreptum commemoraret femina, supra iam vidimus. Accedit quod et v. 38 maxime congruit cum v. 35 et Menaechmus post vv. 20—28 ac vv. 34—37 matronam nominare potuit petulantem, post vv. 39—41 potius se neque uxorem habere neque pallam surripuisse vel abstulisse dicturus erat (cf. vv. 399, 509 sq.). Duo denique huic scaenae additamenta adiecere qui spectatoribus iocorum amantibus erant consulturi, vv. 48 sq. et 50—52. Illos qui addidit, versus 45 sententiam ad patrem quoque adplicandam censuit ineptam illam dubitationem uxoris num suum vir socerum novisset nihil curans. Alter sive eundem mavis esse, ne iustum quidem versum Plautinum se fingere potuisse versu 50 ostendit, cuius pes paenultimus prosodiam refert Lucilianae aetatis.

V 2 Prodigium profecto iam esset, si in ea quae sequitur scaena, qua Menaechmi insaniam deprehendere sibi videntur

Digitized by Google

uxor et socer, retractationis nulla superessent signa: ac si nihil aliud lacunae a Ritschelio indicatae et versus integer repetitus (777, 810) non omnia recte procedere declarant. De quo versu satis difficile est iudicium. Nam quamvis altero loco genuinus esse, priore recentioris poetae videatur conlato versu 773, siquidem mutatis modis cantica Plautina esse per se veri est simillimum, tamen equidem versum 810 potius eiciendum puto. Neque enim offensioni esse, quod senex v. 773 virum tristem, v. 777 iratum dicat, discimus ex scaena IV 2, qua utcumque a variis poetis mutata est, iratae et tristis personae habitum non multum aut nihil inter se differre solitum esse demonstratur; praeterea utrum huic scaenae vir tristis, femina irata magis apti sint an iratus ille, haec tristis, haud scio an certo omnino nemo sit diiudicaturus. Cur autem versum illum inter vv. 809 et 811 alieno scriptum esse loco existimem, haec habeo argumenta: primum v. 810 abesse optime potest, v. 777 non potest; deinde e verbis *quid illa autem abs te irata destitit?* necesse est concludi senem nondum cum filia esse conlocutum, quod totius scaenae rationibus propterea non respondet, quia socerum ad filiam quae arcessiverat primum accedere consentaneum est; denique ipsa versus 810 quae in libris est forma ostendit studium immutandi versum 777 vel neglectis rationibus metricis. Hac igitur difficultate sublata primum cum Ritschelio et Brixio in v. 788 offendemus; nam verba *nisi non vis* cum Grutero matronae tribui nequeunt, a qua hoc quidem loco comitatem satis alienam esse ne is quidem negaverit qui nihil inter hoc enuntiatum et quod explicandi causa apponit Vssingius *nisi incommodum est* interesse concedat. Sed ne Ritschelium porro sequamur versum intercidisse statuentem, ea re puto nos impediri, quod mulieris illa quaestio *Qui ego istuc, mi pater, cavere possum?* patrem nihil amplius quam ut cum viro haberet pacem edixisse ostendit, cum in versibus 788 sq. praecepta eum dedisse videamus singula. Alii igitur hos versus scaenae huius exemplari alii illos haud scio an maxima cum probabilitate adsignemus. Cui parti postea additos esse vv. 795—797 vel e verbo postulandi ter et ablativo *una opera* bis occurrenti cernitur: si acrius spectamus, solum v. 794 ita antecedentibus respondere, ut recte eum senex potuerit eloqui nos

Digitized by Google

vix fugiet. Non possum deinde satis mirari editorum socordiam, qui inter versus 800 et 801 nihil desideraverint. Mihi quidem prorsus improbabile videtur poetam nulla coniunctione quae inter illos versus intercedat ratio indicaturum fuisse. Sed quoniam in vv. 801 sq. non minus quam in vv. 789 et 791 verba e scaena I 2 (cf. vv. 115, 120 sq., 123) videmus deprompta, omnes illos ab eodem profectos esse poeta credibile est. Itaque si quid video vv. 792—800 inmisit interpolator; quae opinio eo minus veri similitudine caret, quod postquam primum crimen viro a mulieri obiectum reiecit pater, illam gravius aliquid proferre oportebat, non dicere quod etiam facilius refelleretur: *Atque ibi potat*[1]). Iam versus, quibus Menaechmum adgreditur senex, ad v. 786 facilius quam ad v. 807 adiungi arbitror. Nam ut omittam, quam dissimile sit veri senem interrogantem post praecedentes versus de palla et spintere nihil proferre, postquam discidii causam ex uxore rescivit, dicere forsitan potuerit *Iam ego ex hoc quo modo factum sit quaeram*, non potuit *Iam ego ex hoc, ut factum est, scibo.* Praeterea a vv. 808 sqq. alienum prorsus fuisse spinter haud scio an e v. 814 liceat concludere, quo verbum *hanc* simpliciter positurum fuisse, cui spinter etiam erat commemorandum, non admodum est probabile. Ita ad hunc versum perveni, de quo satis anceps est virorum doctorum iudicium. Quem cum Ritschelio cur in duas divellamus partes, propterea causam nullam agnosco, quia in libris esse *surrupuisse atque abstulisse* Parei et Fleckeiseni[2]) testimoniis constat, nec quisquam haec verba apte inter se consociari negabit. Extremum autem verbum gravius censeo esse corruptum quam olim Camerario *deierat* proponenti visum est. Neque enim solum languidum est hoc verbum, siquidem utrumque ab eodem verbo *(arguit)* pendere infinitivum ratio postulat, sed etiam mulierem iurasse verum non est. Quibus de

---

[1]) Recte Ladewigius (Philol. XVII p. 464) observavit mirum esse, quod Menaechmus tam diu adstat tacitus. Qui quod eam ob causam v. 791 Menaechmo Epidamniensi tribuit, erravit: ille enim non adest; neque praesentem in animo habuit Menaechmum Sosiclem, quippe cui ista non conveniant verba.

[2]) Annal. philol. XCIX p. 484 adn. Contra quos quo iure Vssingius in codicibus esse *surrupuisse abstulisse atque* significet nescio.

Digitized by Google

causis atque quod ad alterum quoque infinitivum aliquid apponi desideramus, potuit quidem scribi *atque abstulisse ad alteram*. Sed restat altera difficultas. Particula *neque* secundum excidisse enuntiatum demonstratur. Quod quale fuerit, non ita ambiguum est. Menaechmum enim post vv. 813—815 aliquid opus erat proferre, quo etiam gravius sibi cum ista muliere nihil esse negoti affirmaret. Hoc aut fallor aut esse non potuit nisi vel ea quam Teuffelius[1]) commendavit sententia *neque eam umquam adhuc vidisse* vel ea quae proximorum est versuum *neque in eius aedes umquam intro ivisse*. Vtramcumque eligemus, non poterunt vv. 816 et 817 insequi; quod in altera cum consentaneum sit, in priore, quippe cuius tum infringatur vis, non minus est manifestum. Quoniam vero ad confirmandum hoc *non abstuli pallam* scriptos se esse ipsi demonstrant[2]), haud scio an eadem aut maiore cum probabilitate nihil intercidisse id est verbum *neque* corruptum esse statuamus. Cuius loco poetam scripsisse *numquam*, cum neque satis aptum id et propter verbum *umquam* in v. 816 positum molestum sit, non credo: potius conlata codicum CD in versu 821 corruptela Menaechmo haec tribuerim verba:

Rerum omnium: [3])
Me nego isti male fecisse mulieri, quae me arguit
Hanc domo ab se surrupuisse atque abstulisse ad alteram:
Si ego intra aedes huius umquam, ubi habitat, penetravi pedem,
Omnium hominum exopto ut fiam miserorum miserrumus.

Sermonis quem iam inter se conferunt Menaechmus et senex ordinem et rationem si nobiscum reputamus, cur ille v. 826 tam aspere subito in senem invehatur, nos non intellegere fatemur: immo vv. 826 sq. mihi quidem non esse posse viden-

---

[1]) Qui Ritscheli supplementum aptum non esse certis argumentis evicit annal. philol. XCIX p. 484.

[2]) Hoc Ritschelium et Teuffelium non latuit, cum verba *abstulisse deierat* alterius versus mutili extrema esse vellent. Neque tamen hic spinter debebat inferre: quod cur non simul cum palla monstraret ac pronomine indicaret Menaechmus, causa erat nulla.

[3]) Haec enim verba Menaechmo vehementer commoto multo melius conveniunt quam seni, quem verbis *Qua de re aut quoius rei?* sermonem illius interrumpere satis est.

Digitized by Google

tur nisi primum Menaechmi molestum sibi hominem aegre ferentis responsum. In priore versu extremo intercidisse quaedam metrum ostendit. Supplementa cogitari possunt varia: mihi uxoris quae secuntur verbis tum tantum locum esse probatur, si terribile quid Menaechmus patri filiaeque erat minatus. — Versus 826 sqq. cum alius atque superiores esse recensionis statuerimus, num v. 834 excipere potuerit versum 829 certo nequit diiudicari[1]: admodum veri simile esse nego, quia patrem quoque de insaniae signis a filia observatis aliquid dicturum fuisse conicias. Omnia deinde bene procedunt ad v. 844, ante quem in libris traditus est v. 831. Hunc versum non in eadem inesse potuisse scaena in qua v. 834 agnoscere potius quam cum hoc ipso componere editores decebat, quos praeterea mirum est non intellexisse verbis *Filia heus* patrem aut ad se vocare filiam aut eius ad Menaechmum furentem turbasque facientem advertere animum, quarum rerum neutra post vv. 822 sqq. et 828 sq. poterat fieri. Vnus hoc loco haesit Ladewigius, cuius rectissimam sententiam e Brixi et Wagneri ad v. 845 adnotationibus frustra studeas elicere. Qui cum intellegeret quod hoc loco profitetur senex propositum non modo cum reliquis huius scaenae versibus sed etiam cum integris scaenis V 3—5 pugnare, Plautum contaminantem has scaenas ex alia fabula Graeca sumpsisse coniecit. At quam ineptum ne dicam insanum ille finxit poetam, quem vv. 844—847 omittendos sibi esse non sensisse crederet! Immo si uno loco, certe in hac scaena retractationis cognoscuntur vestigia. Versus 831 844—847 qui composuit, quem Ladewigius perspexit senem statim abeuntem fecisse, ei non fuisse medicum in personarum numero frustra negabimus: alteri igitur editori cum maiorem huius scaena partem, tum illas quae medicum habent scaenas fere totas debemus. Medici enim personam genuinam, quinque autem illos versus recentiores esse dici nequit quam sit incredibile. Menaechmus

---

[1]) De vv. 832—835 transponendis Acidali opinionem ipsi Ritschelio probatam refutavit Langenus Philol. XXXIII p. 711 sq. Qui ne in eo quidem Acidalium laudare debuit, quod v. 831 suo depulit loco: satis inepte iunguntur versus, quorum plane eadem est sententia 831 et 834.

Digitized by Google

quod sibi ne auferretur occupaverit consilium (cf. v. 847) nunc nescimus: verba eius perierunt; sed mirum ni idem fuerit quod olim his verbis (vv. 552 sq.) est prolocutus:

Set quid ego cesso, dum datur mi occasio
Tempusque, abire ab his locis lenoniis?

Superesse ex hac pristina forma etiam vv. 880 sq. videntur, quos cum antecedentibus non cohaerere Ritschelius vidit. In quibus quod Menaechmus se rediturum timere senem significat, optime cum vv. 846 sq. convenit. Contra in altera illa huius scaenae forma Menaechmus id solum agebat, ut simulata insania molestos illos homines a se depelleret, neque mali quicquam sibi instare sciebat. Ex qua ut vv. 831 844—847 seclusimus [1]), ita vv. 858—861 segregari oportet; nam senem cum videamus fortiter resistentem insano (vv. 856 sq., 868) neque timore perculsum, sed ut medicum arcessat abeuntem, huic descriptioni obstant vv. 860 sq., quibus pronuntiatis eum aufugisse quam terribiliores etiam sustinuisse minas probabilius est. Accedit quod et illud *Faciam quod iubes* (v. 858) e v. 850 petitum adeo non facile est intellectu, ut Vssingius censuerit explicandum: *Apollinem* inquit *alloquitur,* et in v. 859, utut praeterea de eo statuimus, nihil aliud quam in vv. 855 sq. inesse confiteamur necesse est. Amplificandi igitur causa aliquis versus illos interposuit. Extremae huius scaenae si iam intuemur conexionem, longe a veri similitudine recessisse hunc si fas est dicere poetam Vssingi verba indicant: *senex quasi in eodem loco manenti medicum arcessit.* Menaechmo ergo, qui tanquam insania confectus humi se abiecerat [2]), deserto abeuntem eum fecit qui haec scripsit; neque minus incredibile est quod Menaechmum v. 878 neglecto Messenione vasis marsuppio ad navem fingit

[1]) Versus 848 sqq. non ad pristinam pertinere formam et simulata insania aliena ab illa et Apollinis invocatio ad v. 841 referenda ostendunt. Videntur quidem versui 843 subiungendi: nam in patrem, qui quae ad eum confugerat (v. 843) filiam ab insano defensurus esset, versu 848 invehi potuit Menaechmus.

[2]) Mira de v. 871 commenta proferunt editores: ne Brixius quidem Plautinam verbi *demutare,* de qua ad Mil. glor. 1130 ipse dixit, agnovit structuram.

Digitized by Google

iturum. Vel ex his rebus Romanum retractatorem potius quam Atticae elegantiae cognoscas poetam.

V 3 De senis, a quibus quintum exorsus est actum Bothius, verbis haec dicit Weisius: *Abierat supra senex atque scaenae sequentis v. 4 dicitur adducere medicum. Itaque patet hos septem versus perinepte insertos esse a serioribus.* Cui opinioni se accedere non audere profitetur Vssingius. Equidem audeo, etsi Weisi argumentum v. 887 refutatur: *ducere* non id est quod *adducere*, sed magis *conducere*. Nihilo minus recte eum iudicasse ex his apparet argumentis: primum non intellegitur, cur non cum ipso medico senex in scaenam revertatur. Statuit quidem Brixius praecucurrisse eum, sed quo iure statuit? Senex nihil de ea re dicit, immo sedendo exspectando manendo se fatigatum (v. 882) praedicat et verba *atque eccum incedit* (v. 888) admirationem potius aliquam quam certam sequentis medici exspectationem prodere videntur. Non probabiliorem esse, quam a Warnero sumpsit Wagnerus explicationem *'he had quitted the physician and was now waiting for him again while some business within doors detained him'* ipsa senis verba si accurate inspexeris ostendunt. E duobus enim primis versibus, praesertim cum dicat *dum se ex opere recipiat*, non dicat *reciperet*, nemo non concludet eum etiam nunc exspectare medicum neque dum cum eo conlocutum esse. Iam si legimus *tandem ab aegrotis vĕnit*, putamus indicari accedentem medicum. At quid sequitur?

Ait se obligasse crus fractum Aesculapio.

Conlocutus igitur est cum medico atque cur tam diu ille moratus sit audivit. Praesens historicum esse *venit* (neque minus *ait*) coniceres, nisi hoc loco parum esset aptum et obstaret quod historicum esse non potest *dolent*. Quae cum ita sint, eum qui hos versus composuit aut sanam rationem non multum curasse aut versuum necessitate ut inepta dicentem faceret senem coactum esse [1]) vides. Proximam autem scaenam ita esse comparatam, ut vv. 882—888 nullo modo desiderentur, et per se apertum est et optime illustratur conlata scaena

---

[1]) Dicendum erat v. 883 *dum se ex opere reciperet* et v. 884 *vēnit*, ut intellegi saltem possent senis verba.

Digitized by Google

V 8, in qua et ipsa, quae extra scaenam acta esse finguntur, spectatorum causa narrat qui primus loquitur histrio.

Illa in scaena cum nihil insit, quod reprehendamus [1]), V 5
ad eam iam videtur accedendum, quam ultimam esse additiciarum supra cognovimus. Atque versus quidem 904 et 905 ioci causa post interiectos esse propterea credo, quia nec Menaechmo se miserum dicenti satis conveniunt et quam inter parasitum et meretricem instituit poeta oppositionem pessime interrumpunt. Sed graviora et difficiliora instant. Versus 915 sqq. in pristinam formam redigere sibi visus est Ritschelius (Opusc. II p. 275 sqq.) adscito loco Curculionis, quo in codicis B margine scriptum est

albū an átrū uinū potas
qđ tibi quesito op' est.

Qua de re rectius iudicasse Vssingius mihi videtur, qui *parvo aestimanda esse* inquit *ista quae vel librarii vel legentes ex memoria in margine adscripserunt, apparet comparato altero huius fabulae loco, v. 907* (= 932 R) *sq. qui in eodem cod. ad Curcul. 222 sic adscribitur: Solent tibi oculi duri fieri? Censesne locustam esse?* Praeterea cur tandem ei qui saeculo XIII vel XIV [2])ista adscripsit plus fidei habeamus quam codicibus aetate multo superioribus? Sed ne ita quidem ut in his codicibus scriptus est omni difficultate locus caret. Primum enim offendo in verbis *Iam hercle occeptat insanire primulum.* Quid enim? Nonne Menaechmum insanire iam inter eos (cf. vv. 912 sq.) constat? An verba *Quin tu is in malam crucem?* apertius insanum prodere credimus quam quae etiam duriora nobis quidem videntur *Quin tu te suspendis?* Menaechmum autem miror versu demum 917 ea interrogare quae statim post medici illud *album an atrum vinum potas?* quaerere eum par erat. Quam ob rem non neglegendum puto, quod eius verba ita tradita sunt *Quin tu me interrogas Purpuream* eqs. Nam haud scio an versum 915 recte refingam in hunc modum:

MED. Album an atrum vinum potas? MEN. Quin tu med interrogas —

---

[1]) De transponendis enim versibus 894—896 erravisse Ritschelium Brixius ad v. 895 docuit.

[2]) Cf. Goetzium ad Curc. 222 et 242.

Digitized by Google

uxori iure iurando confirmare audet. Ridiculum autem fere licet dicere quod v. 94 legitur Menaechmi responsum: eodem temporis momento se non dedisse summa fide testatus est, eodem utendam confitetur se dedisse. Praeterea satis mirari non possum, quam ob causam parasitus, qui pallam Erotio donari ipse viderat, Menaechmo post v. 94 non obloquatur. Mulieris denique verba (vv. 96 sq.) hoc loco satis supervacanea ne dicam inepta sunt. Prorsus egregie autem matronae sibi iuramento non persuasum esse significanti (v. 93) Menaechmus respondet: Vt nihilo minus te falsum dicere meque pallam meretrici non dedisse intellegas, *ego faxo referetur.* Quibus de causis vv. 94—97 interpolatoris quam poetae esse credere malo.

IV 3 Maximas igitur huius scaenae esse turbas cognovimus, ac ne una quidem totius fabulae quantum haec immutandi pruritum in retractatoribus excitavit. Nulla fere eorum vestigia in tertia quarti actus deprehendimus, etsi ne illam quidem plane iis vacare contenderim. Primam ii versus suspicionem movent, in quibus spinteris mentionem invenimus. Quam ab hac scaena primitus afuisse e v. 686 cognoscere licet, ubi quod in omnibus codicibus est scriptum *Quia commisi* eqs. ita tantum intellegi posse videtur, ut Erotium nihil nisi unam rem (i. e. pallam) Menaechmo commissam indicet. Quod si eam ob causam vv. 681 sqq. additicios habendos existimo, etiam in iis ipsis insunt, quae hanc comprobent opinionem: primus enim versus in codicibus versus non est et quod in eo *ad phrygionem ut ferres* prorsus similiter dicitur atque in v. 682 *ut ad aurificem ferres,* minus exercitatum prodit poetam; in v. 685 potius dicendum fuisse *nunc te post illac primum video* Vssingius recte monet; forsitan id quoque licet commemorare non prorsus verum esse quod v. 682 Erotium se Menaechmo spinter dedisse ait, siquidem miserat per ancillam. Hoc igitur loco genuinam scaenae turbatam esse formam demonstrasse mihi videor. Versus praeterea 694 sq. ex alia fabula propter similitudinem margini olim adscriptos in sermonem continuum irrepsisse censeo. Qui enim v. 692 Erotium *pedem intro non feres* et brevi post, si argentum ferat, eum non frustra futurum esse dicere credamus? Argentum omnino hoc loco quid sibi velit, non intellegitur: an Me-

Digitized by Google

naechmum antea dare Erotio aut non solitum esse aut noluisse aut non potuisse putamus? Apparet puto apta haec esse callidae et avarae meretrici, quae amantem adulescentem propter pecuniae inopiam ex aedibus eicit: cui etiam convenit v. 695; frustraturus enim Menaechmus Erotio videri non poterat, immo recte despicatui ab eo, se haberi opinatur.

Magis conspicua iterum retractationis vestigia prae se V 1
fert ea scaena, a qua quintum incipere actum docti statuerunt Itali: quis enim eundem poetam in una eaque satis brevi scaena hos versus scripturum fuisse credat[1]):

19 Non ego istaec flagitia possum perpeti
21 Quam istaec flagitia tua pati quae tu facis
35 Atque ei narrabo tua flagitia quae facis
38 Iam ego aperiam istaec tua flagitia. — Sanane's?

Sed singula deinceps perlustremus. Primum inter se pugnant vv. 3 et 6, cum servum priore Menaechmus in ganeum se immersisse censeat, altero ambulare quasi pro certo ponat. Quoniam autem v. 9 nisi ante dicto versu 5 nequit intellegi, difficultatem istam ita puto esse solvendam, ut a v. 4 potius quam a v. 6 aliud scaenae exordium incipere statuam. Versus deinde si spectamus 19 et 21, id facile, opinor, Ritschelio concedemus utrumque genuinum esse non posse. A quo nihilo minus dissentiendum videtur in eo quod posteriorem spurium iudicavit; equidem priorem — si omnino versum licet appellare — eiecerim. Nam ut taceam, quod Brixius post *mavelim* enuntiatum aliquod exspectari contendit, tamen verbum *perpeti* e v. 22 extremo repetitum interpolatorem prodit et ante v. 20 aliquid intercidisse e Menaechmi responso certo concluditur. Qui non solum versum 20 ne verbo quidem respicit, sed etiam ita loquitur, ut mulierem antea haec dixisse appareat: Non iam istud perferre possum matrimonium, divortium ut fiat curabo, *nam med aetatem viduam esse mavelim* eqs. Quae cum ita sint, vv. 20 sqq. cum prioribus coniungi non possunt; quam rem sentiens olim aliquis conficto versu 19 quod desideratur duarum particularum vinculum repperisse sibi visus est: nos duos potius poetas cognoscimus. Maxima

---

[1]) Traditum versuum ordinem quoniam cum Ladewigio mutavit Ritschelius, numeris utor editionum volgarium.

Digitized by Google

deinceps v. 29 editoribus facessivit negotia, in quo immerito Ritschelium pro *At* scripsisse *Haut* ex eo qui sequitur versu elucet. Neque quicquam profecit Vssingius, qui Bothium secutus scripsit *Hanc* v. 655 Menaechmum negavisse contendens. At neque se surripuisse illo versu maritus negavit neque ita eius verba se intellexisse matrona ipsa v. 664 indicat. Quid igitur his versibus faciendum putamus? Mihi quidem res ista non aliter videtur explicari posse, nisi ut poetam aliquem minus diligentem istam sibi sumpsisse audaciam agnoscamus, cum praesertim ita tantum intellegatur, cur protervum in vv. 7 sqq. matrona prae se ferat furorem. Si enim Menaechmus pallam ut erat pollicitus referebat, quidnam causae fuit, ut in obsequentem ira exardesceret maritum? Hi ergo versus haud scio an eidem cui illi tribuendi sint poetae. Versus 29—33 optime inter se cohaerent: versus autem 34 post illos quid sibi velit me nescire fateor; mulierem crederes ista Menaechmi verba (vv. 31—33) *flagitia* dicere. Immo hic versus ex recensione petitus est, e quali supersunt vv. 19 sqq.; quod cum recte sentiret, Ladewigius v. 34 cum v. 28 consociavit; hoc autem num recte fecerit, dubitari saltem licet. Nullam enim, si eius opinionem amplecteremur, inveniremus causam cur non post v. 21 Menaechmus interrogasset, quod v. 39 interrogat: *Quae mea flagitia?* Sed hoc ipsum argumentum nescio an quem commoveat ut vv. 38—41 existimet eiciendos, quibus quam inepte aurum surreptum commemoraret femina, supra iam vidimus. Accedit quod et v. 38 maxime congruit cum v. 35 et Menaechmus post vv. 20—28 ac vv. 34—37 matronam nominare potuit petulantem, post vv. 39—41 potius se neque uxorem habere neque pallam surripuisse vel abstulisse dicturus erat (cf. vv. 399, 509 sq.). Duo denique huic scaenae additamenta adiecere qui spectatoribus iocorum amantibus erant consulturi, vv. 48 sq. et 50--52. Illos qui addidit, versus 45 sententiam ad patrem quoque adplicandam censuit ineptam illam dubitationem uxoris num suum vir socerum novisset nihil curans. Alter sive eundem mavis esse, ne iustum quidem versum Plautinum se fingere potuisse versu 50 ostendit, cuius pes paenultimus prosodiam refert Lucilianae aetatis.

V 2 Prodigium profecto iam esset, si in ea quae sequitur scaena, qua Menaechmi insaniam deprehendere sibi videntur

Digitized by Google

uxor et socer, retractationis nulla superessent signa: ac si nihil aliud lacunae a Ritschelio indicatae et versus integer repetitus (777, 810) non omnia recte procedere declarant. De quo versu satis difficile est iudicium. Nam quamvis altero loco genuinus esse, priore recentioris poetae videatur conlato versu 773, siquidem mutatis modis cantica Plautina esse per se veri est simillimum, tamen equidem versum 810 potius eiciendum puto. Neque enim offensioni esse, quod senex v. 773 virum tristem, v. 777 iratum dicat, discimus ex scaena IV 2, qua utcumque a variis poetis mutata est, iratae et tristis personae habitum non multum aut nihil inter se differre solitum esse demonstratur; praeterea utrum huic scaenae vir tristis, femina irata magis apti sint an iratus ille, haec tristis, haud scio an certo omnino nemo sit diiudicaturus. Cur autem versum illum inter vv. 809 et 811 alieno scriptum esse loco existimem, haec habeo argumenta: primum v. 810 abesse optime potest, v. 777 non potest; deinde e verbis *quid illa autem abs te irata destitit?* necesse est concludi senem nondum cum filia esse conlocutum, quod totius scaenae rationibus propterea non respondet, quia socerum ad filiam quae arcessiverat primum accedere consentaneum est; denique ipsa versus 810 quae in libris est forma ostendit studium immutandi versum 777 vel neglectis rationibus metricis. Hac igitur difficultate sublata primum cum Ritschelio et Brixio in v. 788 offendemus; nam verba *nisi non vis* cum Grutero matronae tribui nequeunt, a qua hoc quidem loco comitatem satis alienam esse ne is quidem negaverit qui nihil inter hoc enuntiatum et quod explicandi causa apponit Vssingius *nisi incommodum est* interesse concedat. Sed ne Ritschelium porro sequamur versum intercidisse statuentem, ea re puto nos impediri, quod mulieris illa quaestio *Qui ego istuc, mi pater, cavere possum?* patrem nihil amplius quam ut cum viro haberet pacem edixisse ostendit, cum in versibus 788 sq. praecepta eum dedisse videamus singula. Alii igitur hos versus scaenae huius exemplari alii illos haud scio an maxima cum probabilitate adsignemus. Cui parti postea additos esse vv. 795—797 vel e verbo postulandi ter et ablativo *una opera* bis occurrenti cernitur: si acrius spectamus, solum v. 794 ita antecedentibus respondere, ut recte eum senex potuerit eloqui nos

Digitized by Google

vix fugiet. Non possum deinde satis mirari editorum socordiam, qui inter versus 800 et 801 nihil desideraverint. Mihi quidem prorsus improbabile videtur poetam nulla coniunctione quae inter illos versus intercedat ratio indicaturum fuisse. Sed quoniam in vv. 801 sq. non minus quam in vv. 789 et 791 verba e scaena I 2 (cf. vv. 115, 120 sq., 123) videmus deprompta, omnes illos ab eodem profectos esse poeta credibile est. Itaque si quid video vv. 792—800 inmisit interpolator; quae opinio eo minus veri similitudine caret, quod postquam primum crimen viro a mulieri obiectum reiecit pater, illam gravius aliquid proferre oportebat, non dicere quod etiam facilius refelleretur: *Atque ibi potat*[1]). Iam versus, quibus Menaechmum adgreditur senex, ad v. 786 facilius quam ad v. 807 adiungi arbitror. Nam ut omittam, quam dissimile sit veri senem interrogantem post praecedentes versus de palla et spintere nihil proferre, postquam discidii causam ex uxore rescivit, dicere forsitan potuerit *Iam ego ex hoc quo modo factum sit quaeram*, non potuit *Iam ego ex hoc, ut factum est, scibo.* Praeterea a vv. 808 sqq. alienum prorsus fuisse spinter haud scio an e v. 814 liceat concludere, quo verbum *hanc* simpliciter positurum fuisse, cui spinter etiam erat commemorandum, non admodum est probabile. Ita ad hunc versum perveni, de quo satis anceps est virorum doctorum iudicium. Quem cum Ritschelio cur in duas divellamus partes, propterea causam nullam agnosco, quia in libris esse *surrupuisse atque abstulisse* Parei et Fleckeiseni[2]) testimoniis constat, nec quisquam haec verba apte inter se consociari negabit. Extremum autem verbum gravius censeo esse corruptum quam olim Camerario *deierat* proponenti visum est. Neque enim solum languidum est hoc verbum, siquidem utrumque ab eodem verbo *(arguit)* pendere infinitivum ratio postulat, sed etiam mulierem iurasse verum non est. Quibus de

---

[1]) Recte Ladewigius (Philol. XVII p. 464) observavit mirum esse, quod Menaechmus tam diu adstat tacitus. Qui quod eam ob causam v. 791 Menaechmo Epidamniensi tribuit, erravit: ille enim non adest; neque praesentem in animo habuit Menaechmum Sosiclem, quippe cui ista non conveniant verba.

[2]) Annal. philol. XCIX p. 484 adn. Contra quos quo iure Vssingius in codicibus esse *surrupuisse abstulisse atque* significet nescio.

Digitized by Google

causis atque quod ad alterum quoque infinitivum aliquid apponi desideramus, potuit quidem scribi *atque abstulisse ad alteram.* Sed restat altera difficultas. Particula *neque* secundum excidisse enuntiatum demonstratur. Quod quale fuerit, non ita ambiguum est. Menaechmum enim post vv. 813—815 aliquid opus erat proferre, quo etiam gravius sibi cum ista muliere nihil esse negoti affirmaret. Hoc aut fallor aut esse non potuit nisi vel ea quam Teuffelius[1]) commendavit sententia *neque eam umquam adhuc vidisse* vel ea quae proximorum est versuum *neque in eius aedes umquam intro ivisse.* Vtramcumque eligemus, non poterunt vv. 816 et 817 insequi; quod in altera cum consentaneum sit, in priore, quippe cuius tum infringatur vis, non minus est manifestum. Quoniam vero ad confirmandum hoc *non abstuli pallam* scriptos se esse ipsi demonstrant[2]), haud scio an eadem aut maiore cum probabilitate nihil intercidisse id est verbum *neque* corruptum esse statuamus. Cuius loco poetam scripsisse *numquam,* cum neque satis aptum id et propter verbum *umquam* in v. 816 positum molestum sit, non credo: potius conlata codicum CD in versu 821 corruptela Menaechmo haec tribuerim verba:

Rerum omnium:[3])
Me nego isti male fecisse mulieri, quae me arguit
Hanc domo ab se surrupuisse atque abstulisse ad alteram:
Si ego intra aedes huius umquam, ubi habitat, penetravi pedem,
Omnium hominum exopto ut fiam miserorum miserrumus.

Sermonis quem iam inter se conferunt Menaechmus et senex ordinem et rationem si nobiscum reputamus, cur ille v. 826 tam aspere subito in senem invehatur, nos non intellegere fatemur: immo vv. 826 sq. mihi quidem non esse posse viden-

---

[1]) Qui Ritscheli supplementum aptum non esse certis argumentis evicit annal. philol. XCIX p. 484.

[2]) Hoc Ritschelium et Teuffelium non latuit, cum verba *abstulisse deierat* alterius versus mutili extrema esse vellent. Neque tamen hic spinter debebat inferre: quod cur non simul cum palla monstraret ac pronomine indicaret Menaechmus, causa erat nulla.

[3]) Haec enim verba Menaechmo vehementer commoto multo melius conveniunt quam seni, quem verbis *Qua de re aut quoius rei?* sermonem illius interrumpere satis est.

Digitized by Google

tur nisi primum Menaechmi molestum sibi hominem aegre ferentis responsum. In priore versu extremo intercidisse quaedam metrum ostendit. Supplementa cogitari possunt varia: mihi uxoris quae secuntur verbis tum tantum locum esse probatur, si terribile quid Menaechmus patri filiaeque erat minatus. — Versus 826 sqq. cum alius atque superiores esse recensionis statuerimus, num v. 834 excipere potuerit versum 829 certo nequit diiudicari[1]: admodum veri simile esse nego, quia patrem quoque de insaniae signis a filia observatis aliquid dicturum fuisse conicias. Omnia deinde bene procedunt ad v. 844, ante quem in libris traditus est v. 831. Hunc versum non in eadem inesse potuisse scaena in qua v. 834 agnoscere potius quam cum hoc ipso componere editores decebat, quos praeterea mirum est non intellexisse verbis *Filia heus* patrem aut ad se vocare filiam aut eius ad Menaechmum furentem turbasque facientem advertere animum, quarum rerum neutra post vv. 822 sqq. et 828 sq. poterat fieri. Vnus hoc loco haesit Ladewigius, cuius rectissimam sententiam e Brixi et Wagneri ad v. 845 adnotationibus frustra studeas elicere. Qui cum intellegeret quod hoc loco profitetur senex propositum non modo cum reliquis huius scaenae versibus sed etiam cum integris scaenis V 3—5 pugnare, Plautum contaminantem has scaenas ex alia fabula Graeca sumpsisse coniecit. At quam ineptum ne dicam insanum ille finxit poetam, quem vv. 844—847 omittendos sibi esse non sensisse crederet! Immo si uno loco, certe in hac scaena retractationis cognoscuntur vestigia. Versus 831 844—847 qui composuit, quem Ladewigius perspexit senem statim abeuntem fecisse, ei non fuisse medicum in personarum numero frustra negabimus: alteri igitur editori cum maiorem huius scaena partem, tum illas quae medicum habent scaenas fere totas debemus. Medici enim personam genuinam, quinque autem illos versus recentiores esse dici nequit quam sit incredibile. Menaechmus

---

[1]) De vv. 832—835 transponendis Acidali opinionem ipsi Ritschelio probatam refutavit Langenus Philol. XXXIII p. 711 sq. Qui ne in eo quidem Acidalium laudare debuit, quod v. 831 suo depulit loco: satis inepte iunguntur versus, quorum plane eadem est sententia 831 et 834.

Digitized by Google

quod sibi ne auferretur occupaverit consilium (cf. v. 847) nunc nescimus: verba eius perierunt; sed mirum ni idem fuerit quod olim his verbis (vv. 552 sq.) est prolocutus:

Set quid ego cesso, dum datur mi occasio
Tempusque, abire ab his locis lenoniis?

Superesse ex hac pristina forma etiam vv. 880 sq. videntur, quos cum antecedentibus non cohaerere Ritschelius vidit. In quibus quod Menaechmus se rediturum timere senem significat, optime cum vv. 846 sq. convenit. Contra in altera illa huius scaenae forma Menaechmus id solum agebat, ut simulata insania molestos illos homines a se depelleret, neque mali quicquam sibi instare sciebat. Ex qua ut vv. 831 844—847 seclusimus [1]), ita vv. 858—861 segregari oportet; nam senem cum videamus fortiter resistentem insano (vv. 856 sq., 868) neque timore perculsum, sed ut medicum arcessat abeuntem, huic descriptioni obstant vv. 860 sq., quibus pronuntiatis eum aufugisse quam terribiliores etiam sustinuisse minas probabilius est. Accedit quod et illud *Faciam quod iubes* (v. 858) e v. 850 petitum adeo non facile est intellectu, ut Vssingius censuerit explicandum: *Apollinem* inquit *alloquitur,* et in v. 859, utut praeterea de eo statuimus, nihil aliud quam in vv. 855 sq. inesse confiteamur necesse est. Amplificandi igitur causa aliquis versus illos interposuit. Extremae huius scaenae si iam intuemur conexionem, longe a veri similitudine recessisse hunc si fas est dicere poetam Vssingi verba indicant: *senex quasi in eodem loco manenti medicum arcessit.* Menaechmo ergo, qui tanquam insania confectus humi se abiecerat [2]), deserto abeuntem eum fecit qui haec scripsit; neque minus incredibile est quod Menaechmum v. 878 neglecto Messenione vasis marsuppio ad navem fingit

[1]) Versus 848 sqq. non ad pristinam pertinere formam et simulata insania aliena ab illa et Apollinis invocatio ad v. 841 referenda ostendunt. Videntur quidem versui 843 subiungendi: nam in patrem, qui quae ad eum confugerat (v. 843) filiam ab insano defensurus esset, versu 848 invehi potuit Menaechmus.

[2]) Mira de v. 871 commenta proferunt editores: ne Brixius quidem Plautinam verbi *demutare*, de qua ad Mil. glor. 1130 ipse dixit, agnovit structuram.

Digitized by Google

iturum. Vel ex his rebus Romanum retractatorem potius quam Atticae elegantiae cognoscas poetam.

V 3 De senis, a quibus quintum exorsus est actum Bothius, verbis haec dicit Weisius: *Abierat supra senex atque scaenae sequentis v. 4 dicitur adducere medicum. Itaque patet hos septem versus perinepte insertos esse a serioribus.* Cui opinioni se accedere non audere profitetur Vssingius. Equidem audeo, etsi Weisi argumentum v. 887 refutatur: *ducere* non id est quod *adducere*, sed magis *conducere.* Nihilo minus recte eum iudicasse ex his apparet argumentis: primum non intellegitur, cur non cum ipso medico senex in scaenam revertatur. Statuit quidem Brixius praecucurrisse eum, sed quo iure statuit? Senex nihil de ea re dicit, immo sedendo exspectando manendo se fatigatum (v. 882) praedicat et verba *atque eccum incedit* (v. 888) admirationem potius aliquam quam certam sequentis medici exspectationem prodere videntur. Non probabiliorem esse, quam a Warnero sumpsit Wagnerus explicationem *'he had quitted the physician and was now waiting for him again while some business within doors detained him'* ipsa senis verba si accurate inspexeris ostendunt. E duobus enim primis versibus, praesertim cum dicat *dum se ex opere recipiat,* non dicat *reciperet,* nemo non concludet eum etiam nunc exspectare medicum neque dum cum eo conlocutum esse. Iam si legimus *tandem ab aegrotis vĕnit,* putamus indicari accedentem medicum. At quid sequitur?

Ait se obligasse crus fractum Aesculapio.

Conlocutus igitur est cum medico atque cur tam diu ille moratus sit audivit. Praesens historicum esse *venit* (neque minus *ait*) coniceres, nisi hoc loco parum esset aptum et obstaret quod historicum esse non potest *dolent.* Quae cum ita sint, eum qui hos versus composuit aut sanam rationem non multum curasse aut versuum necessitate ut inepta dicentem faceret senem coactum esse [1]) vides. Proximam autem scaenam ita esse comparatam, ut vv. 882—888 nullo modo desiderentur, et per se apertum est et optime illustratur conlata scaena

---

[1]) Dicendum erat v. 883 *dum se ex opere reciperet* et v. 884 *vēnit,* ut intellegi saltem possent senis verba.

Digitized by Google

V 8, in qua et ipsa, quae extra scaenam acta esse finguntur, spectatorum causa narrat qui primus loquitur histrio.

Illa in scaena cum nihil insit, quod reprehendamus [1]), V 5
ad eam iam videtur accedendum, quam ultimam esse additiciarum supra cognovimus. Atque versus quidem 904 et 905 ioci causa post interiectos esse propterea credo, quia nec Menaechmo se miserum dicenti satis conveniunt et quam inter parasitum et meretricem instituit poeta oppositionem pessime interrumpunt. Sed graviora et difficiliora instant. Versus 915 sqq. in pristinam formam redigere sibi visus est Ritschelius (Opusc. II p. 275 sqq.) adscito loco Curculionis, quo in codicis B margine scriptum est

albū an átrū uinū potas
qđ tibi quesito op' est.

Qua de re rectius iudicasse Vssingius mihi videtur, qui *parvo aestimanda esse* inquit *ista quae vel librarii vel legentes ex memoria in margine adscripserunt, apparet comparato altero huius fabulae loco, v. 907* (= 932 R) *sq. qui in eodem cod. ad Curcul. 222 sic adscribitur: Solent tibi oculi duri fieri? Censesne locustam esse?* Praeterea cur tandem ei qui saeculo XIII vel XIV [2]) ista adscripsit plus fidei habeamus quam codicibus aetate multo superioribus? Sed ne ita quidem ut in his codicibus scriptus est omni difficultate locus caret. Primum enim offendo in verbis *Iam hercle occeptat insanire primulum.* Quid enim? Nonne Menaechmum insanire iam inter eos (cf. vv. 912 sq.) constat? An verba *Quin tu is in malam crucem?* apertius insanum prodere credimus quam quae etiam duriora nobis quidem videntur *Quin tu te suspendis?* Menaechmum autem miror versu demum 917 ea interrogare quae statim post medici illud *album an atrum vinum potas?* quaerere eum par erat. Quam ob rem non neglegendum puto, quod eius verba ita tradita sunt *Quin tu me interrogas Purpuream* eqs. Nam haud scio an versum 915 recte refingam in hunc modum:

MED. Album an atrum vinum potas? MEN. Quin tu med interrogas —

---

[1]) De transponendis enim versibus 894—896 erravisse Ritschelium Brixius ad v. 895 docuit.

[2]) Cf. Goetzium ad Curc. 222 et 242.

Digitized by Google

Quae enim intercedunt, re vera nihil aliud significant quam v. 912. Contra quam opinionem non valere quod primus Ritschelius protulit argumentum, ut inter vv. 915 et 917 medici alteram intercidisse demonstraret quaestionem[1]), haud difficile est intellectu. Menaechmus enim parasiti et meretricis facinoribus secum reputatis indignatus medicum sibi inepta interrogatione molestum verbis *quin tu te suspendis?* modo repudiavit. Iam illum dicentem *Set quid ais, Menaechme?* non potest non opinari serio aliquid ex se esse quaesiturum respondetque ut solet fieri *Quid vis?* Sed cum audiat proferentem quae quid sibi velint prorsus ignorat, hominem aut non satis sanum esse aut se ludibrio habere velle coniciat necesse est. Qua re optime ei conveniunt verba: Quin tu me interrogas, soleamne esse purpureum an puniceum panem? Quod si ita in enarranda hac scaena pergeremus, non aeque facilia omnia esse explicatu brevi intellegeremus. An credibile est eundem poetam haec spectatoribus proposuisse: primum de Menaechmi insania consentiunt medicus et senex (vv. 912 sq.), deinde hic timet, ille securus percontari pergit (vv. 920 sqq.), porro dubitans ante (v. 927) medicus tandem convincitur (v. 934), sed iam obloquitur senex, qui denique Menaechmi verbis (vv. 941 sqq.) iterum perterritus similiter atque priore loco (vv. 920 sqq.) a medico ut quam citissime medicinam adhibeat petit. Non minus mirus fingitur Menaechmi animus, cum primum indignabundus respondeat (vv. 912, 917 sqq.) deinde lepide medicum illudat (vv. 924, 926), denique magis magisque irascatur (vv. 933, 941 sqq.). Quas turbas si acrius contemplamur, quo modo ortae sint, latere vix potest: vv. 919—930 postea adiecti sunt ab eius generis poetis, quorum vestigia saepius supra (vv. 748—749, 750—752, 795—797, 858—861) cognovimus. Iam enim Ritschelius v. 919 omnino huc non pertinere sensit: de coloribus interrogantem medicum ineptos dicens colores irridet Menaechmus, quid sibi volunt aves et

---

[1]) l. i. p. 276 '*Album und atrum vinum sind ganz richtige technische Ausdrücke für einen wirklichen Sachunterschied; was findet also Menaechmus darin lächerliches, dass er sie mit verkehrten Unterscheidungen wie purpureus und puniceus panis persiflirt, die keinem wirklichen Sachverhältniss entsprechen?*'

Digitized by Google

pisces? Imitatorem praeterea arguunt verba e genuino versu repetita *soleam esse* et neglecta interrogationis disiunctio, qua magna festivitatis pars continetur. Proximis versibus quem prae se fert senex pavorem eum post versum demum 935 concipere potuisse et reapse concipere modo memoravimus. Medicus porro cur tandem alia percontatur, nisi ut Menaechmus iocos proferre possit? Forsitan non omnes hi versus eodem orti sint tempore: magna quidem cum veritatis specie Vssingius v. 930 eiecit. Cuius tamen rei quod adfert argumentum — '*nec enim eiusdem hominis est lepide ad interrogatum respondere et interroganti vehementer male dicere*' (versum enim 928 ita discribit *MED. Perdormiscin usque ad lucem? MEN. Facilen tu dormis cubans?*) — eo potius v. 933 a superioribus abhorrere ostendit. Nec probo Ladewigi sententiam (Philol. XVII p. 462 sq.) qui ante v. 935 aliquid periisse propterea suspicatus est, quia vv. 935 sq. post Menaechmi illam exsecrationem non aptos arbitrabatur. Qui ne sic ut ratio postulabat [1]), lacunam illam post v. 933 statueret, sine dubio eo impeditus est, quod vv. 933 et 934 inter se aptissimos dubitabat seiungere. Sed versu 935 vel post v. 933 optime uti potuit senex, modo recte eum intellegamus. Nam ne Vssingius quidem nuper codicum scripturam *immo Nestor nunc quidem est de verbis* tutatus plane perspexit. Qui quod adnotat *Nestor ille Homericus pro sapientissimo homine ponitur*, verum non est neque esse potest, siquidem in Nestore apud Homerum non solet praecipue praedicari sapientia. Immo is est Nestor, τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή, eamque ob suaviloquentiam mentio eius optime huic loco convenit. Quaecumque enim in hac scaena Menaechmus loquitur verba, si cum deliramentis a sene auditis (vv. 836 sqq.) conferemus, profecto multo minorem concedemus spirare furorem. Sed aliud praeterea desideravit Ladewigius. Senex, inquit, accessit, neque vero a Menaechmo salvere iubetur neque quid sibi velit mira qua utatur agendi ratio, interrogatur; et tamen nisi e socero cur medicum adduceret quaesivisset, ille non potuisset verbis *insanisti, inquam* ad ea

[1]) Versus enim 934 et 935 coniungendos esse illo *de verbis* ab obloquente sene repetito satis demonstratur.

Digitized by Google

quae de hac re dixerat respicere. Cuius argumenti pars altera prorsus falsa est: nam non solum traditum est *insanis, inquam*, sed etiam Menaechmum insanivisse v. 936 senex satis clare indicarat. Quoniam autem per totam scaenam ita loquitur Menaechmus, quasi aut non adsit socer (vv. 912—935) aut ipse eum non noverit, neque iis quae Ladewigius desiderat ullus aptus invenietur locus, in hac re retractatoris illius, cui hanc scaenam deberi demonstratum est, securitatem agnoscere quam librarios culpare malo. — Restant iam duae in hac scaena difficultates, quarum prior oritur e vv. 937—940. Vssingius post v. 937 ex structurae hiatu efficit excidisse versum talem fere *Meo scipione te fracturum esse aibas ossa atque artua*. Quod eum recte efficere non puto: verbum *etiam* optime intellegitur, quandoquidem hoc versu gravius aliquod insaniae signum quam v. 936 senex adfert. — Merito autem hunc versum et v. 940 consociari posse Ritschelius negavit. Argumento est *egomet* verbum nunc sine ulla causa iteratum, quod quo modo explicandum sit e vv. 651 sq. discas; argumento sunt praeterea verba *vidi facere*, quorum loco, ut nunc res est, *audivi dicere* exspectamus.

Versus denique 950 sq. quid hoc loco velint non satis perspicio. Nam etsi codicum ordine a Camerario mutato intellegi saltem posse concedendum est, tamen nihilo setius ab hac scaena sunt alieni. Quamvis enim parvi iudicemus de ellebori medicina antea desperavisse medicum (v. 913), num credimus eum inter vv. 946—949 et 952 sqq., quorum utrosque — nisi plane ineptam esse volumus quam ille in scaenae V 7 exordio prae se fert admirationem — clam Menaechmum dici oportebat, subito ad insanum conversum esse, ut nihil ei nisi istas minas obiceret itaque animum eius ad suum cum sene sermonem adverteret necessario? Qui autem in libris prior est v. 951 etiam minus huc pertinet: re vera insanientem prope putes loqui Menaechmum, quippe qui medico a sua familia alieno minitetur poenam qua suos dominus servos puniat. Hos versus qui addidit, sine dubio non existimavit sufficere, quod socero iratus Menaechmus responderet deliramenta (vv. 941 sqq.), medico quoque de eius insania persuaderi censuit necessarium.

Non nimiam fuisse eius, qui medicum in scaenam in-

Digitized by Google

duxit diligentiam iam supra cognovimus: in hac scaena quem non offendet longa illa de auferendo Menaechmo deliberatio? in qua ter iisdem fere verbis ad se ut deferatur medicus dicit:

948 Ad me face uti deferatur
952 qui illunc ad me deferant
956 Hunc ad me ferant.

Molestas eius modi repetitiones etiam plures in scaenae V 7 invenimus exordio, cuius partem eidem deberi homini vv. 992 et 996 docent. In quo verbum *obsecro* non minus sexiens occurrit (vv. 997, 999, 1001, 1007, 1011, 1016). Praeterea versum 958 ad versus 834 et v. 962 ad v. 831 similitudinem eum finxisse credibile est.

Proxima ad ipsum Plautum nos revocat scaena, ut forma V 6
eius docet (cf. p. 15). Ad quam tractandam antequam accedamus, quaestio oritur, utrum in pristina fabulae forma, quae scaenis V 3—5 carebat, ante an post Messenionem Menaechmus Epidamniensis in scaenam reverterit. Prius revertisse eum sic concludo. Initio scaenae V 7 senem cum servis redeuntem illis de auferendo genero praescribere opus erat, etsi quae eius servata sunt verba genuina non esse mox intellegemus. Menaechmus autem, qui ad consulendos amicos abierat (cf. v. 700), si non invenerat nullum, certe nullum nactus erat sibi benevolentem. De hac re sine dubio, cum ad domum suam revertisset, aliquid dixit. Quod si post versum demum 989 factum esse statuemus, una statuamus oportet Messenionem non modo per senis sed etiam per Menaechmi illa verba tacitum adstitisse, quod non admodum esse credibile nemo non videt. Sin autem Menaechmi illud soliloquium Messenionis praecessisse ponimus canticum, et haec difficultas tollitur et vv. 963--965, quos quo minus ex pristina illa forma credamus superesse nihil obstat, suo loco servari possunt. Ex hac simul apparet disputatione, quam non cum totius fabulae rationibus conveniant ista verba, quae Menaechmum reducem dicentem fecit novator (vv. 899 sqq.).

Messenionis canticum Mostellariae versibus auctum esse Hermannus vidit, cumque ille de servorum officiis ac virtutibus locus in illius aetatis comoediis tritus esset, quis spondebit non plura quae nunc internoscere non licet esse interposita? Dubitari quidem potest de vv. 985 et 989. Quorum

Digitized by Google

priorem haud scio an quis huic loco aptissimum esse demonstraturus me ad proximam releget scaenam, qua fidus servus manu emittitur. Sed si is erat eri animus, ut dicere vellet (vv. 1058 sq.) *Quin certissumumst Mepte potius fieri servom quam te unquam emittam manu*, aut fallor aut non potuit de manumissione instante ita cogitare servus, ut eum cogitare verba ostendunt *Prope est, quando haec erus ob facta pretium exsolvet.* Non minus in altero illo versu ex eventuris divinare nobis quidem videtur Messenio. Accedit quod satis mire, qui modo se semper accurate exsequi eri imperia gloriatus est, iam ne sero veniat timere se significat, cum praesertim et erus imperaverit (vv. 437, 1051) et ipse se curare indicaverit, ut *veniat advorsum temperi* (v. 445). Cur autem ne sero veniat, metus ei oriatur, nulla prorsus est causa: nam Menaechmum Sosiclem non ita diu apud Erotium moratum esse et parasiti admiratio (v. 463) et altera meretricis invitatio (v. 676) luculenter demonstrant. Denique haud scio an etiam illa metonymia *depugnato proelio* interpolatorem prodat: quae cum sumpta sit e vv. 185 sqq., a Messenionis persona satis est aliena.

V 7 In eius quae iam sequitur scaenae parte priore illius hominis, qui medici in fabulam induxit personam, supra cognovimus vestigia. Qui utrum singulos addere singulos demere versus satis habuerit, an totum scaenae initium retractaverit, equidem nolo diiudicare. Sed si versuum 990—1003 ut nunc traditi sunt maiorem ei deberi partem[1]) aliquanto duco veri similius, his impellor argumentis, quae si quis non sufficere iudicabit, tamen aliquid momenti habere concedet. Molestas verborum iterationes illum non vitare iam dixi: verbum *obsecro,* quod etiam postea sed tribus distributum personis et spatio aliquo intercedente occurrit (vv. 1007, 1011, 1016), ille non dubitavit etiam ter alternis ponere in versibus (vv. 997, 999, 1001). Paulo minus aegre ferimus, quae in primis duobus scripta sunt versibus *imperium, imperavi, impero.* Nonnulla praeterea verba ex iis quae secuntur depromptorum speciem prae se ferunt: stulte Menaechmus v. 1000 modo sublatus

[1]) Versibus eum usum esse Plautinis non negandum, immo etiam probabile est.

Digitized by Google

dicit *quin me mittitis?*, quod postea aptissime clamant pugnantes (vv. 1007, 1013, 1016). In eodem versu satis mire suos cives invocans nominat Epidamnienses, quod melius ut peregrino convenit Messenioni (v. 1005); tacere denique nolo versu 1020 rariorem legi structuram *suppetias venire*, pro qua retractator maluit uti solito illo *suppetias ferre* (v. 1003). His quae ex ipsis verbis repetivi argumentis aliud accedit. Postquam enim Menaechmus iterum ut sibi auxilio aliquis succurreret, exclamavit et Messenio auditis eius verbis se suppetias laturum pollicitus est, nonne hunc potius aut eri animum erigere aut in lorarios invehi quam de isto facinore indignabundum verba facere par erat? Ac non modo inprudentem verum etiam loquacem se praebet Messenio, quippe qui prorsus eundem sensum iam vv. 1001 sq. aperuerit. Quod si mecum vv. 990—1003 retractatoris existimabis esse, facillime omnes istae tollentur difficultates. Quibus longe graviores et maiores in extrema hac insunt scaena. Miro modo in vv. 1031 sqq. expediendis se torserunt interpretes. Nihil lucratum esse Balbachium, cuius commenta Ritschelius probavit, primum ex eo apparet, quod Menaechmus, cum servum sciret errare neque manumissione aliud quicquam egisset quam ut a se illum amoveret, non potuit habere ratam missionem dicens *Credo hercle vero*; deinde Messenionem recte dicere *Credo hercle vobis* e verbis *Set, patrone* efficitur, quae eum ad alium antea conversum fuisse hominem luculenter ostendunt. At nemo in scaena erat, qui gratulari posset. An cum Vssingio tibicini aut — quis credat? — spectatori cuidam ista verba tribuamus? Minime: versus 1031—1034 qui composuit sine dubio non animadvertit aut parvi pependit se contra fabulae rationem scribere, dummodo ne solita gratulantis verba dessent. Nam alia etiam neglexit, quae nemo interpretum protulit. Messenio ex ero petivit, ut se sineret abire liberum; quod cum ille concessisset, antequam Menaechmum valere iuberet, referre eum oportebat quae sibi credita erant. Hoc re vera eum fuisse facturum versibus 1035 sqq. demonstratur, quibus non ut cum domino in Siciliam rediturus vasa et argentum ad navem se portaturum, sed ut abiturus ab eo se ista relaturum esse promittit. Quae cum ita sint, qui apud dominum se mansurum esse dicere potuit? Hinc si vv. 1031—1034 omnino

Digitized by Google

ab hac fabula alienissimos esse recte conclusimus, simul apparet optimo iure in v. 1035 Acidalium correxisse in *Mane me* id quod in libris est *Minime,* praesertim cum hoc uno verbo Menaechmum servi propositum reiecturum fuisse post eius verba vv. 1024 sqq. omni careat similitudine veri. — Menaechmi animus in extremis quae secum loquitur verbis plane alius videtur atque ante cognovimus. Nam etsi duris verbis in eum, qui vitam sibi servaverat, non utitur, tamen aliquid impatientiae studiumque removendi hominis iam molesti in eius verbis *Mea quidem hercle causa liber esto atque ito quo voles* cernitur. Omnino autem et hic et in scaena ultima benevolentissimum erga Messenionem se praestat. Cum quibus rebus quis non videt apertissime pugnare vv. 1043—1045 et v. 1037? Praeterea credibilene est eundem Menaechmum servo dicere *liber esto atque ito quo voles* et postquam ille abiit *dicam ut a med abeat liber quo volet*? Vel ex hac similitudine apparere existimo alterum ad prioris exemplum fictum esse versum. At nonne isti consilio, quo exspectare Menaechmus constituit rediturum Messenionem, contrarium est quod extremis duobus versibus profitetur se ad Erotium iturum esse? forsitan igitur hic genuinus huius scaenae fuerit exitus. Ne hoc quidem admodum videtur probabile. Menaechmum enim in scaena remanere necesse erat. An poetam putamus spectatoribus credendum proposuisse intra decem versuum spatium ad Eroti aedes eum accedere, intro ire, cum meretrice ancillaque de palla reddenda disputare, ab iis repudiari, domo exire? At huic argumento non multum ponderis tribuendum esse forsitan aliquis opponat. E quo equidem quaero, num Plauto huius poetae neglegentia possit imputari, qui Menaechmum verborum Eroti (vv. 690 sqq.) oblitum suique propositi (vv. 963 sqq.) immemorem, nullo saltem de his rebus verbo facto — nisi forte illud *quamquam suscenset mihi* sufficere existimabit — iam ad meretricem intro euntem finxerit. A duobus igitur hominibus huius scaenae exitum videmus immutatum. Qua re cognita iam ad singula tractanda aggredi licet. Versibus 1031—1034, ut supra statuimus, seclusis v. 1030 et v. 1035 nequeunt coniungi; necesse erat Messenionem haec fere dicere: quod si iubes, iam abs te abibo, sed aliud ante agendum est negotium; *mane me* eqs. Ali-

Digitized by Google

quot igitur versus periisse censemus, quoniam ne ad priorem scaenae partem referamus vv. 1035 sq., nulla est causa. Non idem dicere licet de vv. 1037 sq.; nam non solum post praecedentes supervacanei ac molesti sunt, sed etiam Menaechmi illud *Adfer strenue* luce clarius indicat eum poetam, qui Menaechmum dolo adspirantem marsuppium fecit; quam rem ab ea scaenae parte quae versui 1031 antecedit esse alienam intelleximus. Duo qui iam secuntur versus (vv. 1039 sq.) callido isti ac doloso vix conveniunt Menaechmo: mirantem atque obstupefactum potius ostendunt. De quorum altero Langeni Brixique non probo iudicium. Qui quod vv. 1039 et 1042 bene coire existimaverunt, errare mihi videntur. Neque enim potuit Menaechmus dicere eum hominem, quem modo manu emisisset, unum esse e mirorum istorum, quae sibi hodie exorta essent, numero. Sed ne hoc quidem credo, tam ineptum esse quam illi volunt versum 1040. Menaechmus pallam Erotio donaverat; cum reposceret, illa se iam reddidisse aiebat. Sibi redditam non esse sciebat: quidni igitur, quoniam amicissimae (cf. I 3) meretrici non habebat cur diffideret[1]), ita hanc sibi potuit explicare rem, ut ab ea se pro alio haberi censeret? At hoc nullo ante hunc versum verbo significavit. Hoc argumentum vel propterea valere nego, quia additis scaenis V 3—5 fieri non potuit, quin multa interciderent. Praeterea nonne in hac scaena, qua ἀναγνωρισμός geminorum iam aliquo modo praeparatur, nonne in ea aptissime de alio homine suspicantem poeta fecit Menaechmum? Sed etiam si merito versum istum Langenus eiecisset, ne tum quidem liceret negare eum qui addidit de servo finxisse alterum, qui periit; haec res sine ullo dubio Ritschelio concedenda est. Cuius loco in codicibus nostris scriptum est miserum glossema (v. 1042), e quo iustum efficere versum frustra studuerunt viri docti. Bis ut omnes a v. 1037 ad v. 1044 versus traditur, sed ita traditur, ut ex ambabus formis satis diversis aliquid fuerit decerpendum: pristinam eam fuisse credibile est, quae est simplicissima: at illa metro omnino caret. Quid? quod Menaechmus post abire iussurus

[1]) A versibus 905 sqq. utpote a retractatore profectis in hac re ponderanda abstinendum erat.

Digitized by Google

(v. 1044) Messenionem non potuit antea minus apte indicare quam his verbis *quem ego emisi manu*, quae servanda esse omnes consentiunt. Causam quoque, qua nescio quis ut adscriberet glossema illud, quod ut solent vana ista corpora in dies magis inflatum est, permotus sit, licet perspicere. Hiare is intellexit inter vv. 1040 et 1043 orationem, quam rem cum nos ita censeamus explicandam, ut alii poetae vv. 1039 sq., alii vv. 1043 – 1045 adtribuamus, ille misero additamento totam difficultatem tollere sibi visus est. Mirantem iterum Menaechmum cum nobis ostendant, qui cum antecedentibus nullo vinculo cohaerent, vv. 1046 sq., respondere videntur versibus 1039 sq. Ac prior quidem, quippe qui ad scaenam V 5 respiciat, Plautinus esse non potest. Accedunt alia suspicionis argumenta. Extrema verba *quid sit, mira sunt* num Plautus scripserit, dubitare se ait Beckerus (Studemundi *Studien* I p. 226): equidem quid significent me non intellegere fateor. Sed haud scio an nihil aliud in iis inesse scriptor voluerit nisi ut Menaechmus omnia quae enumeraverat mira quasi uno verbo comprehenderet. Quod si recte sumo, is qui sequitur versus stare nequit: illo enim *haec* nihil antecessisse demonstratur nisi ipsam mirorum seriem. Hunc autem venerandae vetustatis esse e Varronis de eo disputatione conligamus oportet. Quas ob causas et quia, ut recte procederet metrum, coniectura Camerari opus erat[1]) haud nimis probabili, versum 1046 additicium esse iudico. Versu autem 1047 olim mirorum enumerationem Menaechmum absolvisse persuasum habeo. Duo denique huius scaenae restant versus, quos et cum superioribus pugnare nec toti satis aptos esse fabulae supra demonstratum est.

V 9 Illis quod Menaechmus eloquitur propositum cum exsecutum eum esse ostendant qui scaenae V 9 primi sunt versus, ab eodem poeta compositi videntur esse. Atque recte nos illos Plauto recentiores habuisse ex his etiam clarius elucet: nam quod a fabulae argumento alienum primitus fuisse intel-

---

[1]) Pro eo quod in editionibus legitur *aiebant* in codicibus est *dicebant*; hoc autem verbum explicationis causa illi fuisse adscriptum quis credat? Immerito enim Ritschelius hoc conclusit ex Mil. glor. v. 66: cf. Ribbecki ad eundem adnotationem.

Digitized by Google

leximus spinter in iis cum palla commemoratur. Ita ad extremam disputationis nostrae pervenimus partem, ad pertractandam fabulae scaenam ultimam. Cuius negoti aliquam saltem partem mihi praeoccupatam esse gaudeo. Versus enim 1099—1110 recensionis alicuius amplioris esse reliquias Goetzius (mus. Rhen. XXXV p. 481 sq.) demonstravit. Cuius argumentis quod addam non habeo. Sed ne is quidem ceteras huius scaenae difficultates animadvertit. Equidem in vv. 1137 sqq. offendo. Qua enim re commoveri potuit Menaechmus Epidamniensis, ut pallae mentionem iniceret et istis quidem verbis? Si omnino erat commemoraturus, quidni interrogabat fratrem, num quid de ea rescivisset? Ac ne hoc quidem Plautum arbitror scripturum fuisse. Postquam enim, cur se ad cenam vocavisset meretrix, cognovit Sosicles, hunc potius e fratre quaerere, quid de palla negoti esset, consentaneum erat. Non minus miri mihi quidem videntur vv. 1140 sqq. Frater cum interrogasset *Quomodo haec ad te pervenit?*, Siculus Menaechmus respondet *Meretrix, quae huc ad prandium Me abduxit* — non *mihi dedit* ut postulat ratio, sed *me sibi dedisse aiebat.* Quid huc ea res pertinet? Quid huc cetera ista? Cur denique se ad prandium vocatum esse iterum narrat, cum id ex Messenione se audivisse frater ostendisset (vv. 1136 sq.)? Nemo credo non intelleget ab homine ignaro hos versus esse compositos. Cum v. 1144 eos non bene coire iam Ritschelius dixit: e v. 1145 sine dubio sequitur bonum illud quod evenit Menaechmo Sosicli nihil esse nisi prandium neque de palla nedum de auro in eo versu qui huic praecessit fuisse dictum. Qua de causa haud scio an quis coniungendos esse vv. 1136 et 1144 eosque qui intercedunt pallae et spinteris proferendi causa interpolatos esse coniciat. Fieri quidem hoc potuisse non negabo: nam Menaechmum Sosiclem, cum Messenionem quaereret, idcirco primum in deversorium ivisse credibile est ibique deposuisse pallam; certe quidem per omnes illos versus (1065—1139) eam non conspexit Menaechmus Epidamniensis. Sed etiam si pallam omnino in hac scaena non fuisse commemoratam non dissimile veri est[1]), tamen versus 1144 versum 1136 excipere

[1]) Dixerit forsitan quispiam pallam quae tot tantarumque causa

Digitized by Google

vix potuit. Intercidisse igitur aliquot versus maxime probabile est.

Pauca denique de vv. 1148 sq. dicenda videntur verba. Ladewigius primus observavit Menaechmum Epidamniensem etiam v. 1065 servum appellasse *quisquis es*, nunc subito eius uti nomine. Qui quod eam ob rem post verba *Liber esto* aliquid censuit periisse, nemini eum probaturum esse puto. Si igitur eius modi neglegentiam non imputamus poetae, de qua re equidem malo cohibere iudicium, nihil restat, nisi ut similiter atque Vssingius de vv. 1031 sq., nos de his verbis statuamus (cf. p. 39). Quae opinio eo comprobatur, quod cur Menaechmus Epidamniensis omnino noverit servi nomen non intellegitur. Itaque illius non esse verba *Quom tu es liber, gaudeo, Messenio* paene adfirmare licet, cuius sint dicere non licet. Ad eum qui sequitur versum Ritschelius haec adnotat: *Aliquid responsum esse Messenioni prorsus credibile est.* Rectius Brixius observavit postulavisse etiam antea Messenionem ut sibi erus, unde vitam sustineret, daret. Malum enim illum auspicium dicere, quod liber fieret inops, suo iure interpretes e similibus locis Epidici Plautinae et Terentianae Adelphon concluserunt: quis autem nisi adscitis illis locis versum 1149 ita potuit intellegere?

Sed haec hactenus. Menaechmos dum attento animo omniumque semper quae in agendo aut praeterierant aut instabant habita ratione pertractamus, misere ab retractatoribus turbatam et laceratam nos habere fabulam intelleximus. Quod si quis nimis severe me omnia examinasse contendat atque in palliata fabula parvam neglegentiam poetae concedendam arbitretur, eum refellere lubet exemplo ex Adelphis Terentiana petito, ubi (vv. 953 sq.) Demea ad Micionis

---

fuit turbarum, in extrema hac scaena commemorare debuisse poetam Sed haud scio an etiam maiore cum iure uxorem desideraverit. Quam ne in scaenam induceret, si certus histrionum numerus poetam impediebat — neque enim in hac fabula, si lorarios excipimus, plures quam tres in scaena esse solent — certe nihil obstabat, quominus mentionem eius inter se facerent fratres.

Digitized by Google

fratris verba quaedam plus centum versibus interpositis respicit. Dixerit forsitan ille: sane respicit ad ista Demea, sed spectatorum causa integra repetit; contra te igitur ipse hoc attulisti. Cui equidem respondeo primum illud esse dictum aliquod, qualia non ita ut rerum gestarum aut gerendarum indicia, quae nostra tractabantur disputatione, spectatorum animis solent inhaerere (vv. 833 sq.):

Solum unum hoc vitium fert senectus hominibus:
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.

Sed nisi poeta speravisset fore ut illius reminiscerentur, num repetentem fecisset Demeam? Hoc exemplum quod docet, ipsa ratione confirmatur. Plautum enim in adornandis fabularum argumentis multum a Graecis exemplaribus recessisse non est veri simile. Atticis autem elegantissimis existimatoribus probatam fuisse credamus fabulam, in qua tot res contrarias, tot ineptas, tot plane insanas inesse cognovimus? Qua re etsi quaecumque proposui me omnibus probaturum esse sperare dementis esset, tamen id iam non dubitari posse confido, quin in Menaechmis retractationis insint vestigia et tot tantaque insint, ut haud sciam an haec fabula utpote lepidissima et festivissima maxime omnium arbitrio histrionum videatur fuisse exposita.

Digitized by Google

DE VITA MEA COMMENTARIOLVM

Natus sum Ernestus Ludovicus Petrus Sonnenburg Ludovici filius Bonnae a. d. X. Kal. Sept. anni post Christum natum MDCCCLIX. Patrem non minus quam matrem Elisabetham e gente Brohl ortam adhuc in vivis esse gaudeo. Litterarum elementa ab ipso patre doctus artibus liberalibus instructus sum in gymnasio Bonnensi, cuius novem per annos fui discipulus. Quo tempore quoniam antiquitatis in me excitatus est amor studiisque ad eam pertinentibus quasi fundamenta posita sunt solida, non possum facere quin quantum debeam praeceptoribus meis omnibus, Waldeyero directori v. Houtio Broichero imprimis hoc loco profitear libere. Autumno anni MDCCCLXXVII almae universitatis Bonnensis subii disciplinam, qua ad hunc usque diem licuit frui. Docuerunt me viri clarissimi Aufrecht, Birlinger, Buecheler, Franck, Furtwängler, RKekulé, Küppers, Leo, Maurenbrecher, CMenzel, Meyer, Schaaffhausen, Schaarschmidt, Schaefer, Usener, Wilmanns. Ut in seminarium philologicum reciperer eiusque essem per tria semenstria sodalis ordinarius, per unum senior, Buecheleri Usenerique singulari erga me benevolentia est factum. Seminario theotisco quod per quinquiens sex menses interfui, Wilmannsi prosperae in me voluntati debeo. Exercitationibus suis me admiserunt philologicis Buecheler et Leo, epigraphicis Buecheler, paedagogicis Meyer, Germanicis Wilmanns. Quibus viris omnibus debitam habeo gratiam, omnium maximam Buechelero Usenero Wilmannsio, quos studiorum meorum semper et existimatores clementissimos et adiutores humanissimos me habuisse profiteor semperque me habiturum esse spero.

Digitized by Google

SENTENTIAE CONTROVERSAE

I Euripidis fragmentum a Weilio e papyro Didotiana editum Archelai esse nequit.

II Plat. Hipp. mai. p. 284 D scribendum est verbo ὁ νόμος inducto: ἐνίοτε δὲ καὶ βλάπτει, ἐὰν κακῶς τεθῇ.

III Aristoteles cum κορδύλον dicit, id animal quod nostri salamandram vocant, in animo habuisse videtur.

IIII Callimachi Ἄργους οἰκισμούς partem τῶν κτίσεων fuisse credibile est.

V Trinummi Plautinae vv. 474—484 primitus compositos censeo parasiticae personae.

VI Thalli nomine Iuventium a Catullo indicari certo demonstrari non potest.


VII Cicero in conscribenda priore libri quinti Tusculanarum disputationum parte non omnia a Posidonio Rhodio sumpsit.

VIII Aliam de Melampi fatis Propertio notam fuisse fabulam atque nobis ex eius versibus II 3. 51 sqq. immerito concluditur.

VIIII Prop. II 2. 11 Baehrensi commenta nihili sunt: locus dudum emendatus a MHauptio.

X Meliore iure qui de primis syllabis verborum qualia sunt *accipio occultus* apud Plautum correptis disputant quam decantatum illud IN OQVOLTOD CIL I 196. 15 adferre possunt scripturam OQVPATVS CIL I 200. 25.

Digitized by Google



Digitized by Google

UNIVERSITY OF MINNESOTA
wils
87P69 DSo5
Sonnenburg, Peter Ernst, 1859-
De Menaechmis Plautina retractata libell



3 1951 001 999 559 Y

WILSON
ANNEX
AISLE 72

Digitized by Google